ULRICI HUBERI JC[ti]
Eloq. & civilis Hist. Professoris

D E

GENUINA ÆTATE ASSYRIORUM ET REGNO MEDORUM.

Disputationes VII.







FRANEKERÆ,
Typis *Ioh. Wellens*, Illustr. Frisiæ Ordin. & corundem Acad. Typogr. Ordinar. 1662.





Illustribus, Nobilissimis & Spectatissimis Viris,

D. DOMINICO ab AYLVA,
Prætori in Leeuwarderadeel.

D. ONIÆ à GROVESTINS,
Prætori in Hennaerderadeel.

NOVEM-VIRIS
Reipublicæ Amplissimis.

D. HERONI ab OCKINGA,
Senatori Supremæ Curiæ.

D. SUFFRIDO ÆBINGA
ab
HUMALDA,
Ærarii Præfecto.

D. THEODORO à BAARDT,
Prætori Stellingwerviæ occidentalis.

D. ALLARDO PETRO à JONGESTALL,
Senatori Curiæ Primo, Exlegato Anglicano.

Academiæ CURATORIBUS Magnificis.

Dominis & Fautoribus suis Magnis.

DUm in eo ſum, Illuſtres & Nobiliſſimi Proceres, ut, quod veſtra ſub cura & auctoritate mihi publicè in honorem Academiæ injun-

junctum est conscribendi munus, ad hoc me parem & ornando instruendoque operi necessaria colligam; interea dissertationum hoc historicarum opusculum subcisivis horis est natum. Quippe cum nuper auditoribus meis publice privatimque fontes rerum gestarum è Græcis & Romanis Scriptoribus compendiario interpretarer; ne in limine institutionis fluctuare statim atque hærere cogeremur;

mur; Aſſyricam vetuſtatem, nuper à maximis orbique literario utiliſſimis Viris in dubium vocatam, ſtabiliri ſane, & adverſantium rationes, ſi diſplicerent, modeſte refutari oportuit. Quod cum ordinarium cœpti inſtituti modum egrederetur, peculiari è cathedra exercitatione, quæ tamen auditorio ſe contineret, faciundum exiſtimavi; ut nec aliud quàm utriuſque opinionis fundamenta ratio-

tionesque tractarentur, nec quisquam nisi summi honoris causa nominaretur. Hoc igitur cum necessitas & explicandæ professionis officium tenuitatis meę alioqui conscio imposuerit, non sum veritus ejus specimen vobis Illustres & Nobilissimi Viri, qui Academicam rem vobis ad animum pertinere tot argumentis testatum fecistis, verecunde & humiliter offerre; tam ut gratitudinis pro honorifico, in scriptio-

nis illa publicæ causa, judicio, quam ut observantiæ erga vos meæ devotique animi qualecunque monumentum extaret. Deus Optimus Maximus diu vos Patriæ & Academiæ publico bono incolumes servet! Quod vovet

Vester, Illustres & Nobilissimi Proceres

Humillimus cliens

ULRICUS HUBER. U.J.D.
Eloq. & civ. Hist. Prof. Ord.


DE ÆTATE ASSYRIORUM

DISSERTATIO I.

In qua veterum consensus pro communi sententia ostenditur.

In quâ Respondebit

JOHANNES ALTHUSIUS, Emdâ Fris. Orientalis.



QUi olim historias & hoc sæculo doctrinas temporum scripsere, gentilium rerum initia, missis antiquioribus fabulis, à Nino & Assyriorum imperio, ab annis circiter mille & sexcentis ante Cyrum,

(cujus principium hauddubie incidit in annum ante Chriſtum quingenteſimum quinquageſimum octavum) deducunt, quorum plus paulo quam trecentos Medis; reliquos Aſſyriis tribuunt. Quæ cum admodum nuper ab *Vſſerio Armachano* aliiſque maximis viris contra ſcribi atque doceri cœperint, ut tantum Aſſyriorum tempori annos adſcribant *quingentos*; viſum eſt curæ pretium, ne in limine ſtudii noſtri fluctuare cogamur, exacte in rem totam inquirere: quod quenquam aliter quam honeſto ſtudio ſalvaque magnorum nominum reverentia fieri interpretaturum eſſe creditu alieniſſimum eſt, præſertim cum tyronibus compendia hiſtoriarum tradentibus id ſcitu diſputatuque præciſe ſit neceſſarium. Id conſtat viros ſummos maxime commoviſſe, quod & calculum Aſ-

ſyrio-

ſyriorum altius quam expediat adſcendere ad diluvium Noachi putarint & paganas antiquitates ultra exitum Hbræorum. protendere religioni duxerint. Nobis eſt compertum idque demonſtrabimus, nihil poſſe in vetuſta hiſtoria clarum & aſſeveratum haberi, ſi verum non ſit, Aſſyrios *tredecim fere ſæculis* imperium obtinuiſſe; quæ antiquitas nemini enormis videri debet, cum vel his diebus Venetos & Gallos, quod illuſtrandi ergo liceat allegare, haud ſane multo pauciores à ſuis originibus annos numerare conſtet.

§. 1.

ABſolvemus hanc diſputationem quatuor omnino capitibus, quorum primo potiſſima veterum ſcriptorum teſtimonia de ætate Aſſyriorum ſuccinčte exhibebimus; quæque in iis

explicari aut defendi merentur breviſſime abſolvemus; tùm rationibus & argumentis eandem antiquitatem probabimus; nec adverſari hanc ſententiam ſcripturæ ſacræ aliiſque ſanis traditionibus oſtendemus; inde contrariæ opinionis fundamenta ita excutiemus, ut multo tenuiora & obſcuriora interque ſe diſſona ſint apparitura quàm noſtra cuiquam ſano ſenſu prædito videri poſſint. Sententia, inquam, ſummorum virorum eſt, Aſſyricum imperium, ſi non plane fabuloſum, annis tantum *quingentis* & ſi quid excedit, floruiſſe; quæ tamen quinque ſæcula cum indubitata Cyri ætate & reliqua civili hiſtoria connexuri, adeo laborant, ut multo lubentius quicquid eſt Aſſyrici nominis involutum tenebris & pro mera ſtrue mendaciorum protritum vellent;

adeoque ubi Ninum regem collocare debeant, nescire se fateantur.

§. 2. Primo omnium, nihil habent antiquius; quam Ctesiam Cnidium ut præcipuum communis sententiæ auctorem, explodere; quam in rem eorum testimoniis utuntur, qui tragicis eum & dramaticis narratiunculis nimium indulsisse (quorum præcipui sunt Plutarchus & Photius, cui juxta Diodorum quicquid de Ctesia superest, debemus) scripserunt. Sed idem Plutarchus omnium Ctesiæ acerrimus censor, in iis quæ nullam scenici & pathetici figmenti causam vel occasionem habebant, fidem ei habendam censet; & hac ratione testimonium ejus Dinoni historico non vulgari præfert etiam cum de tempore quæritur, *in vita Artoxerxis*. Photius autem *Cod.*

71. potiſſimam mentiendi infamiam contraxiſſe Cteſiam ſcribit, ἐν τοῖς ἐπιγεγραμμένοις αὐτῷ ἰνδικά, in libro quem indica inſcripſit; nec conſiſtere ejus vanitatem in putationibus temporum ſed in apparatu narrationum τὸ παθητικόν καὶ ἀπροσδόκητον ἔχουσι πολύ καὶ τὸ ἐγγὺς τοῦ μυθώδους, *quæ multum ſerviunt affectibus multumque inexpectati & ſimile fabuloſi habent.* His vitiis ſi Cteſias laboraverit, velim ſcire an minus hoc nomine Herodotus ab omnibus antiquis reprehendatur, de cujus malignitate librum integrum Plutarchus ſcriptum reliquit; & tamen is unus & ſolus eſt, cujus fide hæc recens opinio, cum pro Cteſia tot alii ſint, nititur. Hoc illius patroni oratoria prudentia diſſimulant; quod Cteſiæ impingitur accurate notantes, quod Herodoto, prætereuntes.

Sed

Sed in calculis temporum, quod Plutarchi argumentum eſt, nihil ſcenici & dramatici reperitur, nec proin Cteſiæ aut Herodoto fides hoc nomine deneganda eſt. Ideoque magnus Scaliger, qui Cteſiæ inconſulta & maligna mendacia exprobrat, in Aſſyricis tamen & in Medicis adeo eum Herodoto præfert, ut alios reges alia tempora quærentes fidenter inſanire affirmet. Quemadmodum & reliqui omnes Ethnici & Patres Eccleſiaſtici, quos non fugiebat vanitas Cteſiæ, relicto Herodoto, quam proxime ad illius traditiones accedunt; hauddubie quod & alii vetuſtiores eadem prope de Aſſyrica vetuſtate tradidiſſent; cujus,argumentum rei eſt quodEuſebius πολλοὺς τῶν ἐπισήμων ἱστορικῶν συμφωνοῦντας. *multos clariorum hiſtoricorum in hanc rem conſentientes* al-

legans Cteſiæ non meminerit. Sed quæ peculiariter ei objiciuntur in dſputatione tertia removebimus, &in ſequenti quidHerodoto ſit tribuendum examinabimus. Nunc præcipuorum veterum, quorum libri & loca extant, teſtimonia quæ de *mille trecentis annis* loquuntur, repræſentabimus.

§. 3. Primus eſt Diodorus, qui auctorem Cteſiam laudans *libro 2. cap. 21.* imperium Aſſyricum à Nino ad Sardanapalum ſtetiſſe ait annos *mille trecentos & ſexaginta*; ſed hi *ſexaginta* à reliquis Cteſiam non obſcure ſequentibus unanimiter omittuntur. Quod ſuſpicionem non levem movet, *in cap. 28. ejuſdem libri* pro *mille quadringentis* legendum eſſe *mille trecentos*; quam facilis ſit lapſus τετρακοσίων pro τριακοσίων cuivis liquet; & juvatur hæc emendatio, quod locus

hic

hic tantum ſit repetitio prioris, eadem pene verba referens, eundem numerum generationum à Nino ad Sardanapalum exprimens; unde patet diverſum à priori hunc non eſſe calculum; at foret alius ſi *quadringentis* hic ſcriptum eſſet, minor enim numerus majorem includere nequit, major minorem poteſt. Accedit quod alibi rotundo calculo utens Diodorus ad numerum 1300. non 1400. reſpiciat; ait enim *cap. 22.* cum ad Trojam pugnaretur, Aſſyrios jam regnaſſe annos plus mille, Capta autem eſt Troja annis ſex & trecentis ante caſum Sardanapali.

4. Diodoro jungimus Æmilium Suram, ſcriptorem inprimis vetuſtum, qui apud Vellejum *libro* 1. *cap. 6.* inter tempus debellati Antiochi Magni & initium Nini interceſſiſſe ait annos *mille nongentos*

nonaginta quinque. A devicto Antiocho ad Cyrum retro sunt anni trecenti & septuaginta, ita ut Ninus antiquior fuerit Cyro annis mille sexcentis viginti quinque; quorum trecenti & septendecim pertinent ad Medos; adeo ut secundum hunc genuinum Suræ locum Assyriorum imperium floruerit annis *mille trecentis & octo.*

§. 5. Vellejum Paterculum pro contraria opinione proferri video, sed quam infeliciter nec ipsos fugit citantes dum mox ita eum explicant, ut majorem inde mille trecentis ætatem pro Assyriis colligant. Et quis putet Vellejum magnopere à Sura, cujus aut ipse locum aut ex ejus mente alius suo textui inseruit, dissentire? Habet quidem vulgaris textus in *principio cap.6.* mille septuaginta annos pro tempore Assyriorum; sed præter-

terquam quod hic numerus multo sit proximior mille trecentis quam dissentientium quingentis annis, insuper vitiosus habetur; Nam & Lipsius mille ducentos & triginta legit, ipsique opinionis contrariæ authores, in lectionem mille trecentorum & viginti consentiunt. Atqui ita præcise ad annos mille trecentos redigeretur; nam in fine Assyrici imperii determinando viginti annis aberrasse Vellejum scribit Scaliger *libro 3. canon. Isag.* Si qui veterum illorum, Ctesiæ calculos sit secutus, hunc ego Vellejum fuisse non dubitaverim, cùm & verba verbis Diodori respondeant. Unde enim hæc sua, *ita ut semper successor regni paterni foret filius* hausit, nisi unde Diodorus hæc παῖς παρὰ πατρὸς διαδεχόμενος τὴν ἀρχὴν; *l. 2. cap. 21.*

§. 6.

§. 6. Sequitur Justinus Trogi, ex quo tanquam ex tripode, putant Viri Clarissimi, docere eos Assyriorum & Medorum ætatem, qui veteri sententiæ adhærent; cum nulli tamen antiquorum Viri docti minus quam huic in Chronologia tribuant, nec hujus potissimum fide hanc sententiam inniti vel ex his quæ disputavimus liqueat. Justino dum solus est in temporum ratione nemo sanus multum crediderit, sed cum aliis accurate conveniens non invalidum argumentum præbet: Visum tamen est faciundum summis viris, ut hujus potissimum gladio ipsi erepto communem sententiam jugularent. Et quid tandem? Justinus diluvium Noachi ignorat & ignorat historiam ante Ninum; Ergo & hujus initium & Assyricum tempus ignorat? Imo hæc non Ju-

stinus

ſtinus ſed omnes Ethnici ignorarunt, nullumne igitur hiſtoriæ ſuæ principium reperire potuerunt? Præterea Juſtinus Vexorin & Tanaum reges mille quingentis annis Nino vetuſtiores facit, & hoc portentum debent admittere qui Cteſiam non rejiciunt. ErgoneCteſias eadem ſcripſit? aut quæ eſt hæc iniqua poſtulatio? Qui Juſtini de tempore Aſſyrico teſtimonium, cum omni vetuſtate conſentiens accipiunt, his & illa admittenda ſunt in quibus idem longiſſime ab omni antiquitate recedit? quis enim præter Juſtinum hæc de Vexori & Tanao ſcripſit? Si Vexoris, ut creditur, eſt Seſoſtris, duabus ætatibus ſuperior erit Proteo, ſi Herodotum ſequimur, quo rege capta eſt Troja, mille poſt Ninum annis; Et ſi abſurdum non eſt Vexorin eſſe Seſoſtrin, nec

id

id alienum erit, Tanaum esse Madyen Scytham apud Herodotum. Cyro non multo superiorem. Nos Justinum tribuentem Assyriis mille trecentos annos comprobamus, quia cum Ctesia & Diodoro & Sura atque Vellejo aliisque innumeris convenit. Vexorin & Tanaum tot sæculis Nino præponentem rejicimus, quia cum potioribus & antiquioribus aliis omnibus pugnat.

§. 7. Fuere præcipui gentiles; sequuntur Christiani veteres, quibus obiter præmittimus Hebræum Josephum, qui *libro* 1. *cap.* 10. *ἀρχαιολογίας* expeditionem Abrahami adversus quatuor reges enarrans, Κατ᾽ ἐκεῖνον γὰρ τὸν καιρὸν, inquit, Ἀσσυρίων κρατούντων τῆς Ἀσίας. *Eo tempore cum Assyrii rerum per Asiam potirentur*, & sic porro; atqui hoc idem est quod sequentes Ec-

Ecclesiastici volunt, qui Abrahami nativitatem Nini regno σύγχρονον faciunt, quod hypothesin nostræ antiquitatis supponit.

§. 8. Illorum primus est Augustinus, qui *libro 18. de citate Dei c. 21.* Assyricum imperium ad Medos translatum fuisse ait post annos *mille trecentos & quinque*, annoque quadragesimo Nini natum esse Abrahamum affirmat *l. 16. de C. D. c. 17.*

§. 9. Præceptorem hauddubie discipulus sequetur Orosius, qui *libro 1. cap. 4.* Ninum annis mille trecentis ante urbem conditam floruisse scribit, Sardanapalum autem regnasse ait novissimum annis sexaginta quatuor ante eandem urbem conditam *cap. 19. ejusdem libri*, sed tum Beli regnum omittit cujus sexaginta quinque anni ex sententia Augustini si accedant *d.*

l. 16.

l. 16. c. 17. ſpatium milletrecentorum denuo erit expletum. Cum hæc perſpicua ſint, non eſt difficilis conjectura locum eſſe mendoſum in *cap. 12. l. 1.* quo regnum Aſſyriorum uſque Sardanapalum per annos MCLX. actum eſſe affirmat, ubi neceſſario legendum videtur M C C X L. rotunde pro MCCXXXIV; Nam ſi tunc Beli ſexaginta quinque anni accedant, mille trecenti iterum explebuntur. Niſi hæc emendatio concedatur miſere autor ſibi ipſe contradicet.

§. 10. Claudet agmen Euſebius, qui in utroque Chronico *ad num. 1197.* à Nino Beli, ut ait, filio ad Sardanapali exitium annos numerat mille ducentos & quadraginta, additoque Beli regno exacte annos *mille trecentos*, ut teſtis quoque eſt Cenſor ejus Georgius Syncellus,

cellus, qui in eo Castorem antiquum scriptorem magis eum sequi testatur, τῷ Κάστορι μᾶλλον ἀκολουθήσας, inquit; quod mirum est Scaligerum capere non potuisse; *Quomodo sequitur Castorem*, ait ille *in notis ad hunc locum; quum Castor universum Assyriorum imperium mille ducentis octuaginta annis definiat, Eusebius mille trecentis?* Non ait Eusebium prorsus Castorem sequi Syncellus, sed magis, συγκριτικῶς comparative, respectu Africani; Nam à Castore viginti annis abest, ab Africano centum & 84.

§. 11. Atque ita præcipuos antiquorum vidimus, qui Assyriorum imperium annis circiter *mille & trecentis* floruisse constanter & diserte affirmant, ut jam Africanum & si qui altius adscendunt, prætereamus; quanquam certum est, Eusebium præter Ctesiam, Castorem

quoque aliosque veterum hic omissos secutum fuisse; Quorum omnium fidem rejicere & mendacii arguere, est fundamentum historiæ tollere & quicquid à veteribus memoriæ proditum est funditus evertere. Nam cum unice historia scribentium fide & testimoniis nitatur, quid tandem certi futurum sit, si quod tot consentientium authoritate firmatum est, despuere liceat, non video. Accedit, quod eruditissimorum hoc sæculo Virorum, qui in literis familiam ducunt, omnique ætate in his rebus indagandis sunt versati, nullus non eandem Assyricarum rerum antiquitatem, sine hæsitatione agnoverit. Neque tamen adeo è potestate mentis exierunt, ut quam propinquus esset hic calculus diluvio Noachi non viderent, cum Hebraicam ipsi computationem sequerentur

tur, aut si contrariari literis sacris hanc profanam vetustatem censerent, eandem tamen probarent. Et profecto, qui non prorsus amore suarum inventionum abrepti, rationi miserint repudium; hos consensus tot clarorum hominum ex professo eam rem tractantium saltem hactenus cohibere debebat, ut ne majorem suo solorum judicio quam literatorum omnium consensui fidem à nobis habendam contenderent. Nam quod jactatur, reliquos omnes horum temporum eruditos, præter Usserium paucosque alios, clausisse oculos, veritatemque adeo in conspicuo positam contueri noluisse quam veri habet speciem? Ctesiam paucosque gentilium Veteres aut Ninum vel Sardanapalum tanti illos fecisse, ut in eorum gratiam divini Mosis fidem in dubium vocari voluerint?

Plane non puto unquam factum esse aut fieri posse, ut in re tam palpabili quam harum rerum falsitas repræsentatur ; tam unanimiter unquam eruditi atque in Assyricis antiquitatibus evenit, consentire & errare potuerint.

12. Cæterum Magnus Scaliger non contentus hac mille trecentorum, & si quid supra est, annorum ætate, plusquam sesquicentum annis vetustius Assyriorum initium statuere videtur ex Julio Africano, qui nescio quibus authoribus annos mille quadringentos octuaginta quatuor Assyriis adscribit, non sane ex Ctesia vel Diodoro, neque Castore vel Cephallione, quanquam trium posteriorum nomina catalogo regum suorum præscribat, cum eos omnes multo minorem tradidisse nnmerum constet. Atquidem Africanus pro hypothesi compu-

putationis Græcæ, quam amplectitur, ſine abſurditate tam enormem ſententiam admiſit; ſed quo pacto Scaliger cum vulgato ex Hebraico textu calculo, quem merito probat, hanc ſententiam conciliare potuerit imaginari nequeo: niſi quis putet Nini regnum in ipſam vaſtitatem prioris mundi ipſumque diluvium conjicere, non eſſe omnium multo abſurdiſſimum. Id quod me credere jubet, idem eum hic voluiſſe, quod *in libro 3. canon. Iſag.* de Ægyptiis ante diluvium dynaſtiis ſcripſit, ſuperare quidem eas Moſaicam antiquitatem, ſed quia methodice ſunt digeſtæ & in mediis temporibus cum veritate conveniunt, non fuiſſe eas prætereundas. Atque in hac parte magis eo id confirmatur, quod & ipſe in notis *ad fragm. veter.* & omnino quoties ex veritate hiſtorica loqui-

tur, ultra Cteſiæ numeros non adſurgat, neque ſectatores ejus & deſcriptores Calviſius & Ubbo Emmius in ſuis Chronologiis Africano fidem habeant. Nec obſtat quod moroſe paſſim Euſebio exprobrat Scaliger diſſenſum ab Africano; hoc enim ita interpretamur, non quod abſolute in id pro Africano contenderit, ſed quod fas non putarit, cum paſſim Euſebius veſtigia Africani legeret, eum in hoc capite ab auctore ſuo diſcedere, ipſumque truncatis aliquot regum ſpatiis velut mutilum exhibere. Sed ne quis putet auctoritate ſola communem ſententiam niti, videamus ſi quæ ſunt argumenta & rationes.

DE

DE ÆTATE ASSYRIORUM DISSERTATIO II.

qua communis ſententia argumentis ſtabilitur.

QUanquam aſſeverate magni viri diſſentientes, nullum mundi annum, vel, quæ certior eſt æra, ante Chriſtum vel ante Cyrum nominare poſſunt, quo Ninum & Aſſyrios primum cœpiſſe velint, in eo tamen conveniunt, id multum fuiſſe infra Moſis & Hebræorum exitum in Arabiam. ſed ego exiſtimo & res loquitur Ninum ſeu Niniven urbem, quam ſuo tempore civitatem magnam divinus Moſes appellat, à Nino re-

ge si non conditam primum, appellationem tamen proculdubio esse consecutam. Nam Diodorus *libro 2. cap. 23.* Τὴν μὲν πόλιν, inquit, ἐκάλεσεν ἀφ' ἑαυτοῦ Νίνον, *Vrbem à se Ninum appellavit*, & L. Ampelius in *libro memorabil. Ninus rex* inquit, *clarissimam urbem nominis sui condidit Ninum.* Quæ duo loca ob brevitatem selegimus. At ne quis imperitiam Hebraismi cum Diodoro & Ampelio nobis objiciat aliamque Ninives etymologiam obtrudat, placet Christianos & Hebraice peritos addere: Eusebii est illud Νίνου ἐπώνυμος ἡ Νῖνος πόλις. *Nini cognominis urbs Ninus.* Expressius Pater Augustinus *libro 16. de civitate Dei cap. 3. Cujus*, inquit, *civitatis nomen ex illius nomine derivatum est, ut à Nino Ninive diceretur.* Ipse Hieronymus Bibliorum interpres, cui in Hebrai-
cis

cis originibus ſumma fides debetur *in tradit. Hebr. in Geneſ. ad verba, Ex terra illa egreſſus eſt Aſſur* ita ait, *de terra illa, Aſſyriorum pullulavit imperium, qui ex nomine Nini Beli filii Ninum condiderunt urbem magnam, quam Hebræi appellant Nini-ve, ad cujus vel ruinam vel pœnitentiam tota Iona pertinet prophetia.* Idem *in caput. 2. Oſeæ. Primum omni Aſiæ regnaſſe Ninum Beli filium omnes & Græcæ & barbaræ narrant hiſtoriæ, qui apud Aſſyrios Ninum ſui nominis condidit civitatem, quam Hebræi vocant* נִינְוֵה. Græci dicunt ſimpliciter Ninos, Ebræi vocem נִין in conſtructione נְוֵה *Neve* quæ habitaculum ſignificat, addunt, plane atque ſi tu diceres Νινόπολις *Nini civitas*, quod alias ipſis Græcis familiare eſt, ut in Conſtantinopoli, Adrianopoli aliiſque in hodiernum diem extantibus.

§. 2. Quod ſi Ninus urbs hoc nomine jam Moſis tempore magna & celebris habita ſit, quis negabit appellationis ejus Authorem Moſe & egreſſu Iſraëlis vetuſtiorem fuiſſe & quidem multo vetuſtiorem? Sed objicient, Ninum conditam eſſe à rege Nino id mentiri Scriptores, Nimrodi opus eſſe Nino vetuſtius, cui proin nec nomen nec originem debeat. Equidem de ſtructura nobis integrum non eſt negare, quando pridem eorum opinionem probavimus, qui de Nimrodi itu in Aſſyriam *verſiculum 12. capitis 10. Geneſ.* interpretantur; licet invitis Joſepho, Hieronymo, Auguſtino, Scaligero multiſque Bibliorum interpretibus. Sed hoc maxime conceſſo, nihil penitus prohibet, quonimus nomen urbis Nino regi acceptum ſit ferendum: Pervulgatum enim eſt

civi-

civitates non modo à primis fundatoribus sed & ab instauratoribus & innovatoribus nominari, quin & tales non raro ut auctores urbium celebrari; Babylonem æque Nemrod condidit ac Niniven, minusque illud controversum est, cum diserte scriptura principium regni ejus Babel fuisse testetur & de Nino involuta sint verba; tamen Babylonis ædificatio à quo non Veterum Semiramidi adscribitur? quin apud Danielem Nabuchodonosor gloriatur; *Nonne hæc est Babylon magna quam ædificavi?* Nec mirari oportet Scriptores tam illustri memoria structuræ Semiramidis fuisse deceptos; neque Ctesias culpandus vel Diodorus, quod obscurata per Nini res gestas & gloriam, Nemrodi famâ, admirabilem illius innovationem pro fundatione primæva acceperint.

Et

Et prorſus quid prohibet Ninum auctæ ornatæque urbi nomen dediſſe, cum ut vetuſta prætercam, quid Conſtantinus Magnus de Byzantio fecerit nemo ignoret?

§. 3. Ita demonſtratum eſt fieri non poſſe, quin Ninus multo ſuerit exitu Hebræorum antiquior: ſed ſi oſtenderim Belum Nini Patrem, ut etiam Herodotus ſcribit, vel ſane proximum Anteceſſorem, eſſe eundem cum Nimrodo, tunc Aſſyriorum initium paulo utique accuratius determinabitur. Nam quin primus rex fuerit Aſſyriorum Belus, ne quidem novæ opinionis Patroni negant aut negabunt. Auctores quidem plerique, quos produximus, Ninum appellant primum, non quod de Belo abnuant, ſed quod ejus nomen rebus geſtis Nini ſit obſcuratum, tum & tempus quo regnaverit ignoretur;

Nam

Nam ita diserte Castor ille vetus apud Eusebium, Τοῦ μὲν ὀνόματος, inquit, (Βήλου) μνημονεύομεν, τὴν δ' ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας ἀπὸ Νίνου πεποιήκαμεν, *Nominis quidem Beli meminimus, sed initium scribendæ historiæ à Nino fecimus*, quoniam ut antea dixerat, regni ipsius anni non accurate fuerint traditi. Si, inquam, probemus, Belum esse Nimrodum, sequetur ultro, Assyriorum initium pertingere usque dispersionem gentium, & facile annis mille sexcentis assurgere ultra Cyrum. Et primo quidem, cum vetustiorem Nino Belum esse inter omnes constet, nec tamen ante Ninum quisquam à profanis præter Belum, in sacris præter Nimrodum domitor gentium memoretur, judicatu facile est eundem hominem diversis nominibus, quod in his antiquitatibus solenne est,

si-

ſignificari. Sed evidentius argumentum eſt, quod Babylonicam molem Nimrodi opus eſſe nemo diſſentientium neget: at idem de Belo veterum plerique tradiderunt. Nam præter Abydenum, qui apud Euſebium *libro 9. προπαρασκ. cap. 4.* Belum ait, Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν *Babylonem muro cinxiſſe*, Dorotheus quoque Sidonius Poëta apud Julium Firmicum cecinit Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα, *Vrbs vetus eſt Babylon Beli Tyrii monumentum.* Tyriacum autem non eſſe diverſum ab Aſſyrico Belum probat Salmaſius ad Solinum. *pag. 87.* Curtius *libro 5. cap. 1.* de Babylone, *Semyramis eam condiderat*, inquit, *vel, ut plerique credidere, Belus, cujus regia oſtenditur.* Accuratius & confidentius Ammianus Marcellinus *libro 23. cap 20. Mœnia quidem urbis à Semiramide con-*

ſtru-

ſtructa fuiſſe ait, arcem autem ab antiquiſſimo rege Belo. Templum Beli adhuc ſuo tempore duraſſe teſtatur Plinius *libro 1. cap. 26.* Strabo Βήλȣ τάφ☉ *ſepulchrum Beli* appellat *libro 6. in princ.*

4. Hæc omnia vel à Belo, quod verius, vel ſtatim à Beli morte ædificatam eſſe turrim luculenter oſtendunt. Sepulchrum enim nemo niſi aut ſibi aut recenter mortuo conſtituit; in templi uſum (ſi non turri id circumdatum poſtea) mutarunt ædificium, qui apud ſepulchrum memoriam hominis ſuperſtitioſo cultu honorabant, ut Mahometani Mecham. Cum his elegantiſſime conſentit Artabanus apud Polyhiſtoren, citante Euſebio *libro 9.* προπαρασκ. Βῆλον ἐκφεύγοντα τὸν θάνατον ἐν Βαβυλῶνι κατοικῆσαι, πύργοντε καἰασκευάζοντα ἐν αὐτῷ διαιτᾶσθ. *Belum cum mortem & ira-*

iramdeorum effugiſſet Babylone habitaſſe & cum turrim ædificaſſet in ea vixiſſe. Quis dubitet hunc eſſe Nimrodum? Joſephus *libro* 1. Ναβρώδης δὲ χούσου υἱὸς ὑπομείνας παρὰ Βαβυλωνίοις ἐτυράννησεν, quod ille de Belo id hic de Nimrodo ſcribit, & liquet Belum Babylonem ædificaſſe, at eandem Nimrod ædificavit, ut omnes credunt, & Joſephus *libro* 1. *cap.* 5. affirmat. Quid amplius expectamus? Imo præter hæc omnia, Belus Aſſyriorum rex primus eſt, quod negat nemo; etiam Nimrod Aſſyriæ rex primus eſt, ut ipſi diſſentientes Moſen explicant; aut igitur unus homo duplex eſt, aut Belus eſt Nimrod. Hic interfuit diſperſioni gentium. Illa præcedit Cyrum annis *mille ſexcentis* & ultra. Ergo & Aſſyriorum initium, poſt quod ſtatim eſt Ninus, eò ſe extendit.

§. 5.

§. 5. Quanquam hæc ita sunt comparata, ut à sanis hominibus negari nequeant; age largiamur tamen hoc & relinquamus Belum suo loco; nec nisi id accipiamus, quod ab omni controversia remotum est, primum Babyloniis imperasse Nimrodum: at constat porro è doctissimorum hominum & peculiariter summorum virorum dissentientium commentariis ad *vers. 11. c. 10. Genes.* Nimrodum condito Babylonis imperio in Assyriam transiisse regnoque ibi condito sedem regiam Ninivæ collocasse; ut iidem viri clarissimi inter alia loca cum Bocharto probant ex *cap. 5. Michæ v. 6.* Babylonis, inquam, & Assyriæ regna eodem auctore iisdem temporibus condita esse divinus amanuensis testatur, cui consentaneum est utrique regno eandem esse aut exiguo intervallo di-

ſtinctam antiquitatem; Quod ſi Babylonis igitur imperium Nimrodo principe pluſquam mille ſexcentis annis Cyrum anticipare probamus, tum & hoc cuivis non plane cœco in conſpicuo erit, initiũ Aſſyriorum in idem ſpatium ſe retro à Cyro extendere. Pro comprobanda autem Babylonici regni vetuſtate argumento nunc à nativitate Phaleci & diſperſione gentium non tam utar, quam ut rationem adducendam ex earum rerum convenientia adfirmem. Babylonicum initium præbet nobis luculenta & inconcuſſa authoritate Calliſthenes, cujus teſtimonium apud Simplicium vulgo notum ex Chaldæorum obſervationibus habet à tempore Alexandri ad initium Babyloniorum annos mille nongentos & tres; Sic enim de obſervationibus his loquens Simplicius ἅς τίνας, in-

inquit, διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι καὶ ἐννεακοσίων τριῶν, μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακέδονος σωζομένας; quo loco miror Gerhardum Vossium in *Isag. Cronol. sacr.* perpetuo tribuere his observationibus annos mille nongentos nonag. tres. Huic inquã num. 1903. subducendi sunt ducenti & triginta anni, qui inter captam ab Alexandro Babylonem & initium Cyri intercedunt, ut sic à Cyro ad exordium Babylonis, quod aliud à Nimrodi regno esse nequit, supersint anni mille sexcenti & septuaginta tres, trecentisque & septendecim minus pro toto tempore Assyriorum.

§. 6. Hoc argumentum cum Clarissimi Viri novæ huic sententiæ minus crederent obesse, eodem modo nobiscum primo interpretati sunt; at cum postea vim

ejus attentius perſpicerent, eoque jugulum peti opinionis ſuæ viderent, aliter reſpondendum cenſuerunt & gemino quidem medio; Nam Babylonis, ajunt, conditus & obſervationes ſiderum in illa regione ab eodem principio temporis deduci cur debent? Nempe Aſtrologi erant Babylonii priuſquam eſſet Babylon. Volunt enim maximi Viri Babylonem eſſe recentiorem quam caput Chaldaicarum obſervationum eſt. Sed quæſo? Erantne in regione Babylonica Aſtrologi priuſquam congregatio hominum in terram Schinharis ſeu Babylonicam facta eſt, cujus Moſes meminit? Vel an fingere licebit, tempore diluvii Philoſophos aliquot Chaldæos ad Euphratis fluenta delituiſſe & ibi ſiderum obſervationes continuaſſe? Non potuerunt, inquam, aſtronomicæ ob-

obſervationes fieri in terra Babylonis priuſquam mortales ibi eſſent. Cum autem illi accederent poſt paulo Babylon ædificata eſt ait Moſes diſerte; Calculum igitur obſervationum eſſe vetuſtiorem Babylone niſi pauciſſimis annis ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſt. Sed placet jam porro Simplicii & Porphyrii & Calliſthenis authoritatem reſpuere, quorum teſtimonium hactenus à doctis elegantiſſime uſurpatum erat ad reponendum aliquid eorum rationibus, qui ex profanis hiſtoriis Hebræam conputationem evertere conantur; nihil enim concinnius cum vulgari è ſacris calculo excogitari poteſt quam luculentiſſimus hicSimplicii locus; Adeo ſtare videtur ſententia eruditiſſimis Viris nihil pro illuſtranda Scriptura è gentilibus quam ex Herodoti ſacrario admittere. Sed Pli-

nius,ajunt,recentiorem observationum memoriam ex Epigene & brevissimam ex Beroso & Critodemo collegit; quasi pugnent ea loca semper, quorum unum plus dicit alterum minus, & quasi diversæ observationes à diversis initiis cœptæ esse non potuerint. Callistheni Philosopho gravissimo in dedita urbe vi regiæ amicitiæ commentarios Chaldæorum excutienti ac inde consentanea sacris literis affirmanti, qui credere nolunt, ut consensum ejus cum Ctesia impediant; hi disputationis calori quam veritati plus indulgere videntur.

§.7. Ita vidimus non modo exitum Hebræorum ab Assyriis & Nino multum superari, sed & primum eorum regem esse eundem qui princeps dissipandarum gentium primi in mundo regni à divino Scriptore conditor celebratur,

tur, quemque ipsi Scripturæ sacræ Interpretes facile annis mille sexcentis initium Cyri Persæ præcedere fatentur. Tum vero si Nimrodi ipsius ætas præcise definiri nequeat, ex astronomicis observationibus ὀφθαλμοφανῶς ostendimus, à Cyro ad conditum Babylonis elebi aonos mille sexcentos & septuaginti circiter, qui calculus tribus aut quatuor annis abest à computatione Ctesiæ Assyriaca. Fieri igitur non potest, quin verissime Ctesias Assyrica tempora descripserit, cum, ut dictum sæpius, Babylonis & Assyriæ initium, in eundem principem idemque tempus incidant. Quid tam perspicuis & necessariis rationibus pro contraria hypothesi sit reponendum, ego quidem non video, nisi forte, imperium Assyriorum velint post Nimrodum statim 'pessum ivisse,

& poſt multa demum ſæcula videri à Nino inſtauratum: at hoc ut mere divinatorium ita minimè præſumendum eſt, niſi clare & exſerte probetur. Quod cum certiſſimum ſit fieri non poſſe, valebunt utique hæc argumenta. Nam quod ſublatum non oſtenditur cur ſtare prohibetur? Sed hæc omnia luculentius firmabuntur, ſi non modo à ſacris literis non diſcedere, ſed elegantiſſime earum veritati ſuffragari probentur. Quam diſputationis partem in ſequens caput reſervabimus, qua de removenvendis novæ opinionis objectionibus agetur.

DE ÆTATE ASSYRIORUM

DISSERTATIO III.

Qua communis ſententia ab objectis vindicatur.

IN hoc capite nihil prius agendum eſt, quam ut impactam huic opinioni notam, quod ſacris literis adverſetur, præpoſteram & refutatu facillimam oſtendamus. Authoritatibus id non evincam, licet Chronologorum & Theologorum omnium hac in re conſenſum allegare, quibus ſacris obloqui religio eſſet, vanum non foret. Mens objectionis eſt, Cteſiam & ejus ſequaces Medis & Aſſyriis tot ſæcula tribuere, ut iis in-

tra diluvium Noachi ſecundum Moſis calculum idonea ratione locus non reperiatur. Incidere enim Aſſyricum initium, ſi Cteſiam ſequimur, in annum fere à diluvio ſexageſimum. Nam cum à diluvio ad Cyrum numeret ſacer textus, ut illi putant, annos mille ſeptingentos triginta quinque & Cteſias Medis ſimul ac Aſſyriis tribuat mille ſexcentos ſeptuaginta ſeptem, nonniſi ſexaginta anni ab Aſſyrica origine retro ad diluvium ſuperſunt: quod non immerito illi ut abſurdum traducere videntur, cum intra duas generationes ex octo hominibus arca egreſſis regnum naſci potuiſſe veri non ſit ſimile.

§. 2. Sed hic primo velim ſcire, an eos qui ex ipſo textu Hebræo plures quam mille ſeptingentos triginta quinque annos à dilu-

diluvio ad Cyrum numerant ſpiritui ſancto putent adverſari & an non diverſæ hac de re doctiſſimorum hominum ſententiæ dudum fuerint, quarum quædam à multis ut vulgata veriores ſint receptæ; etſi, quam vulgarem appellare debeam neſcio, cum vix ullam in mundo putem eſſe quæſtionem minus deciſam quam quæ eſt de ætate mundi. Sed non petam iniquum ut æquum obtineam. Petavium, qui triginta quatuor annos plures inter Cyrum & diluvium habet quam in hac objectione ſupponitur, ne quem Jeſuitæ nomen offendat, non adducam; Utar authoritate ejus quem minime diſſentientes rejicient, quem primum ſuæ opinionis auctorem laudant, qui Herodotum veritatis Cteſiam mendacii parentem vocat, ipſorum patroni, noſtri in
hac

hac causa adversarii Viri multo editissimi *Usserii Armachani.* Hic inter diluvium & Cyri principium agnoscit & comprobat luculenter è sacro textu annos mille septingentos & nonaginta; unde si tu subducas quos antea Ctesiam Medis ac Assyriis annos tribuisse audivimus, supersunt inter diluvium & originem Assyricam anni *centum atque tredecim*, qui an suffecerint ad regnum aliquod in mundo constituendum judicent illi qui tredecim annis antea, dissipationem mortalium in varias orbis partes factam fuisse, velint nolint fateri coguntur, cum anno centesimo post diluvium natus sit Phaleg, cui nomen à divisione terrarum inditum; Judices, inquam, summos viros, adversarios non recuso, quos id omni studio agere video, ut tantam uno sæculo multicationem hominum,

quæ

quæ divisioni orbis responderet fieri potuisse & factam esse probent, me non repugnante; modo nimis acuti Censores tunc ut scripturæ sacræ adversantes non traducant, qui tredecim post annis imperium aliquod nasci potuisse credunt; quanquam si sexaginta Ctesiæ annos ultra mille trecentos cum reliquis omnibus antiquis omittamus, non jam tredecim sed tribus & septuaginta post dispersionem annis Assyriam regnari cœpisse fuerit dicendum; quæ sententia quam absurditatem contineat velim vehementer maximi viri me doceant: Sed ut primo omnium, quod effugere non possunt, veteres & modernos omnes Theologos violatæ reos scripturæ peragant, qui nativitatem Phaleci & dispersionem gentium conjunxerunt.

§. 3. Quod si nos iis defendere-

remus, quæ incomparabilis Vir *Iohannes Gerhardus Vossius*, de Cronologia sacra gravissime, salva Hebraici textus divinitate, disputavit, nem nem adeo iniquum fore puto, qui vel aperte contra rationem doceri, vel sanctimoniam scripturæ violari à nobis contenderet. Atqui summus ille Vir ducentos plus annos à diluvio ad Cyrum, probat effluxisse, quam is qui nobis objicitur calculus continet, idque sine subsidio τῶν ἑβδομήκοντα aut ullius barbaræ Chronologiæ, rationibus tantum è sacro & quidem Hebraico fonte depromtis & summorum interpretum testimonio suffultis, atque illa si subsistant tum tr centi vel quadringenti inter diluvium & Assyriorum initium anni intercesserunt. Id sane liquet, cum tam discrepantes sint clarissimorum hominum ex Hebraicis literis compu-

puta-

putationes, esse hanc quorundam, inhumanitatem, qui sententiam omnibus sæculis receptam, vulgatiori quorundam computationi forte minus congruam, adversari scripturæ sacræ & subruere veritatem Hebræam criminantur. Multo illi eruditius cum aliis prudentioribus hoc argumentum adversariis Hebræorum eriperent, nec Mosi aut ipsis contrariari ostenderent; uti factu proclive & facillimum est, modo quorundam obscuras computationes pro indubitata scripturæ sacræ sententia, quo absurdius nihil est, obtrudere non satagamus.

§. 4. Porro ut reges Assyrii tanquam nimis vetusti exterminarentur opus erat arcessere & stabilire ad eorum necem dynastas multo, si dis placet, vetustiores, Chaldæos & Arabas, quos Julius Africanus apud

apud Euſebium λόγῳ πρώτῳ ſcribit ante Belum annis quadringentis & quadraginta Babylonis regnum tenuiſſe; quod ſi credendum ſit, tunc longe ultra diluvium hiſtoria Babylonis fuerit extendenda; ſed cum hoc ſit abſurdum, eò nos Viri ſummi putant redactos, ut Aſſyricum tempus ad ipſorum numeros cogamur coarctare: At nefas videri volunt Chaldæis iſtis & Arabibus cum eruditis omnibus & noviſſime cum Petavio & Gerhardo Voſſio fidem negare, libertatemque quam ipſi contra omnium ſententiam in recentiori hiſtoria ſumunt aliis in vetuſtioribus narratis invident. Sed nullis aliunde opus eſt argumentis ad evertendam traditionem quæ ſe ipſam ultro jugulat. Primus Chaldæorum iſtorum rex fertur eſſe Euechous, ὁ παρ' ἡμῖν Νεμρὼδ, ait ipſe Africanus, id eſt,

quem

quem noſtri Nemrodum appellant. Primus, inquam, horum dynaſtarum eſt Nemrod; quod ſi falſum oſtendamus, tunc omnis hic catalogus haud dubie periit; nam ſi principio reges hi caruerint quis continuationem & ſucceſſionem eorum adſtruet? Sed ſive receptum Aſſyriæ calculum ſequaris ſeu novam opinionem amplectare, nihil falſius eſt quam Nimrodum inter hos Arabas aut Chaldæos dynaſtas nedum primum fuiſſe. Si enim communi ſententiæ inſiſtas, multum iſte Euechous ſupra diluvium, quod abſurdum eſt, adſcendet: ſi novæ, tunc Nemrod ille Euechous in annum fere *milleſimum & centeſimum* ante Cyrum incurret, ſiquidem Sardanapali caſus ſeſquiſæculo circiter eundem Cyrum præcedat, ut noviſſimi diſſentientium volunt; atqui mille & centum

annis ante Cyrum Isaacus patriarcha jam senex erat; & si maxime altero adhuc sesquisæculo Euechoum protendamus, in id tempus quo maxime floruit Abrahamus incidere eum oportet; quo tamen nemo sanus, opinor, dixerit, Nemrodum Babyloniis cœpisse dominari & ædificasse turrim & gentes esse dispersas; quæ necessario ex inconsulta hac Chronologia sequuntur; adeo pensi nihil habent, quo genere armorum utantur qui victoriam sperare non possunt. Censeo non dicent Africanum mentiri, Euechoum esse Nimrodum, quod facile erat dictu; Sic enim contra rem suam niterentur, cum testimonio & fide Africani (de Beroso enim, qui jactatur, nihil hactenus extat) stet omne hoc argumentum. Nec negant sane; quin & Chomasbolum Euechoi succes-

sorem

ſorem inculcant nobis, Chuſum videri eſſe Nemrodi patrem, cui filius in Aſſyriam abituriens regno ceſſerit; quam nos explicationem (licet alias θαῦμα ῥήματος videri poſſet) lubenter admittimus, ut liqueat non negari Euechoum eſſe Nimrodum, & opinionis hujus inutilitas magis eluceſcat.

§. 5. Sed jam periculum eſt, ne prorſus omnis gentilium autoritas in vetuſtioribus rebus evaneſcat, quia ſcribunt ante Ninum pleroſque populos monarchas & quidem potentes habuiſſe. Mihi quinam ante Ninum potentiam Monarcharum determinent ſcriptores præter Juſtinum non conſtat. Quod peculiariter diſcere velim ubi ſit à Cteſia ſcriptum, ut diſerte affirmari video. Diodorus qui Aſiæ vetuſtatem è Cteſia ſcribit expreſſe ait, Ninum hiſtoriæ pri-

mum fuiſſe cognitum, ante illum reges fuiſſe ἐγχωρίους, ὧν οὔτε πράξεις ἐπίσημοι οὔτε ὀνόματα μνημονεύεται, *reges fuiße, ait, terræ filios, nec nominibus neque rebus geſtis cognitos.* Nihil penitus Cteſiæ reliquiſque Ethnicis de antiquioribus Nino rebus conſtabat, nec aliter præ ſe tulerunt, ſed in ulterioribus rebus χάος εἶναι καὶ ζόφον crediderunt. Ægyptiacæ antiquitates nihil cum Cteſia aut his quæſtionibus habent commune, neque ex Græcis ſcriptoribus ſed Ægyptiorum ſacerdotum ore ſcribunt eas Herodotus & Diodorus. Quod Juſtinus de Tanao & Seſoſtri narrat, merito in *diſput. primâ* & cum ratione rejecimus, nec hoc reliquæ antiquitatis præjudicio imputandum eſt. Inſcitia in iis rebus quas citra ſcripturæ ſacræ ſubſidium ſcire aut indagare non poterant, à ſanis homi-

mi-

minibus ad enervandam ſequentium temporum hiſtoriam gentilibus exprobrari non debet.

§. 6. Verum fortius illud argumentum videtur, quod ex ſacra illrum temporum hiſtoria, quæ noſtræ Aſſyriorum ætati æqualia ſunt, deſumitur, *Abrahami tempore Amraphel fuit rex Sennaar, qui non parebat Aſſyriis; nam cum aliis regibus imo in gratiam Cedorlaomor regis Elami adverſus Pentapolitanos bellum inivit, nulla habita ratione regis Aſſyriæ; Iudicũ quoque & Davidis tempore Syriæ & vicinæ Iſraëlitis gentes non parebant Aſſyriis*, adeo ut neſciant qui hæc adducunt, *ubi Ninum Monarcham Aſiæ collocare debeant*. Sed viderint doctiſſimi Viri, ne ſic ipſe Herodotus periculum adeat; Nam quinque ejus ſæcula, quocunque utantur calculo, in tempora judicum incidunt; quod ſi tunc Aſſyrii rerum non ſint potiti, ut He-

rodotus ipſe affirmat, nec Davidis quoque aut Salomonis ætate, oportet uno alteroque ſæculo Herodotum caſtrari. Atque ita hæc objectio elegantiſſime ſeſe habet, cum non mendaciſſimum modo Cteſiam ſed veraciſſimum quoque Herodotum evertat. Quod rem ipſam attinet, inprimis miror adeo cæcutiiſſe Ebræum Joſephum, ut vim luculentiſſimi hujus argumenti non perſpexerit, ſed expeditionem illam Abrahami contra regem Sennaar cum ſociis deſcribens tamen diſerte dixerit rerum tunc per Aſiam potitos fuiſſe Aſſyrios, quem locum *diſput. prima* exhibuimus. Prorſus nihil eſt quod impediat illos reges in clientela Aſſyriorum vel tributo fuiſſe obnoxios, quod peculiariter de rege Elam ſive Armeniæ teſtatur Diodorus *l. 2. in princip.* nec multum

tum refragabimur, si quis contendat inertia & imbellia regum Nini successorum multas se nationes subinde eorum obsequio subtraxisse, adeo ut non raro exiguam Asiæ partem obtinuerint, quomodo posset explicari Dionysius Halicarnassæus *libro 1. antiquit.* Assyriis paruam Asiæ portionem adtribuens, alioqui nec cum Ctesia neque Herodoto & notissima veritate consentiens. Huc pertinent verba Scaligeri *l. 3. can. Isag. Quare illud imperium clarius est origine & vetustate sua quam amplitudine, quam non semper integram perpetuavit: quæ initio quidem immensa fuit, postea per subditarum nationum defectiones in multas quasi lacinias divulsum est; regibus Assyriorum in luxum solutis, & quidvis potius quàm arma & salutem regni sui meditantibus.* Quod si Ctesias dissi-

mulaverit, tribuamus hoc hominis vanitati, quod magnificentiora omnia videri voluerit.

§. 7. Postremò iterum ad Ctesiæ mendacia, de quibus & nos diximus, devolvuntur, quem ut à vanitate, inquam & κακοηθείᾳ non excusamus, ita nec in iis ubi τὸ παθητικὸν καὶ δραματικὸν locum non habet temere & sine causa mentitum credimus, quod nec Plutarchus toties eum insectatus, ut antea dictum, credidit. Et peculiariter quæ à summis Viris ei objiciuntur, non æque omnia esse conficta putemus. Quanquam necesse non est, ut ea pro sustinenda hac sententia nos defendenda suscipiamus, cum ab unius mendacii argumento ad eversionem omnium rerum nemo ratiocinari possit. Sed quæ illa sint audiamus: *Ninum* ajunt *condidit ubi nunquam fuit*, ad Euphratem sci-

ſcilicet. Atqui fuit etiam Ninus urbs ad Euphratem, quam veterem Ninum fuiſſe appellatam Egregius Bochartus nemine contradicente docuit; & Philoſtratus *libro 1. cap. 13.* ſcribit Apollonium Antiochia in Meſopotamiam proficiſcentem primo Ninum veterem neceſſario ad Euphratem appuliſſe, quod ab Ammiano confirmatum ipſi diſſentientes agnoſcunt; nec profecto qui Cteſias ſitum locorum, in quibus ſeptendecim annis verſatus eſt, ignorare potuerit intelligo, nec quæ cauſa mentiendi hic excogitari poſſit, video. Sed aliud crimen, *eandem deſtruxit cum vera Ninus in ſummo flore eſſet.* Si duplex fuerit Ninus, una ad Euphaten & ad Tygrim altera, ut extra controverſiam eſt, fieri quidem potuit, ut hac deſtructa illa
 adhuc

adhuc floreret; sed quis scripsit cum caderet Sardanapalus floruisse urbem Ninum, cum præter Ctesiam illa tempora nemo signate attigerit? Constat quidem annis postea multis stetisse adhuc Niniven, sed quid impedit instauratam fuisse, ut hodie Romam toties eversam stare scimus? Sed pergit mentiri Ctesias, *Semiramin condidisse Babylonem, quam nunquā in potestate habuit*, deconditu primævo quem Nimrod sibi vindicat, taceo; quanquam is non proprius Ctesiæ sed omnibus antiquis error est communis. Sed quid? Babylonem nunquam in potestate habuit Semiramis? quid tandem credere licebit, si & historiæ Pater ille Herodotus sit falsus, qui Semiramin Babylonis reginam tam diserte *libro 1.* commemorat? Imo & reliqui veteres qui ædificationem & amplificationem Ba-

by-

bylonis quam fecit Semiramis pro conditu acceperunt, omnes uno ore clamant fuisse eam Babylonis reginam. Sunt autem illi præter Diodorum, Ctesiam & alios Vellejus *l. 1. c. 6.* Strabo *l. 16.* Mela *l. 1. c. 11.* Justinus *l. 1. c. 2.* Plutarch. *de fortitud. Alex. orat. 2.* Solinus *cap. 56.* quorum omnium loca describere nihil huc attinet. Qui rem adeo claram pro confesso mendacio traducunt, his minime succensendum est, quod figmentum vocent *Ninum mille annis & amplius Trojæ casu esse antiquiorem*; quo nihil esse verius tota hac disputatione patescit. Quod vero *Ninum ante conditam Babylonem imperasse* scribit Ctesias, hoc omnes qui Samiramidi Babylonis tribuunt structuram, sentiunt; quem facilem & excusabilem esse errorem superiori disputatione ostendimus.

D E

DE ÆTATE ASSYRIORUM

DISSERTATIO IV.

Qua contraria opinio refutatur.

SEd videamus, quid nunc tandem certi pto Ctesiæ & reliquorum mendaciis magni viri contrariæ opinionis patroni studiosis historiæ] offerant. Nam si vetusta & recepta satis est evertisse, pessime cum omni genere doctrinarum erit comparatum. Si verum est, quod ingenue profitentur, se nescire ubi Ninum Monarcham Asiæ collocare debeant, itidemque certum, quod fidenter

ter asserunt, nihil veri in universa narratione recepta contineri, sed mendacissimorum scriptorum & vanissimorum hominum nugamenta esse, valde vereor ut unum verbum de Assyriis, quod ad civilem historiam pertineat, proferre possint. Herodotus certe, in quo proram & puppim hujus doctrinæ collocant, nihil prorsus habet, non principium Assyriorum, non finem, non primum, non ultimum regem. Ninum semel nominat in historia Lydorum, sed nominat tantum, nec quidem Assyriæ regem fuisse dicit. Sardanapalum uno quoque loco memorat sed ut vetustum aliquem & vix notum de nomine regem. Atq; hoc est quod ab initio diximus, tantum id viros maximos agere, ut omne nomen Assyricum deleant, nec tam illustrent & in ordinem redigant

digant quam evertant primam nec ignobilem historiæ partem.

§. 2. Quando huc tamen deventum est, videamus unicam & uberrimam eorum aurifodinam, ac quod erui inde potest, investigemus. Est ea in Herodoti *libro* 1. ubi Medorum res enarrans auctor, ait *illos defecisse ab Assyriis cum hi annis quingentis & viginti imperium obtinuissent*; eam rem non data operta tractans sed obiter & perfunctorie attingens. Marshami emendatione, qui unius literulæ mutatione mille annos Herodoti numero inserit, uti non ausim, cum vetustius mendum esse Diodori ætate, qui textum uti nunc habet legit, probari vix possit. Verum quicquid hac de re sit, nobis Ctesiæ omnisque antiquitatis traditiones, sacris literis, observationibus astronomicis totique

tique veterum Chronologiæ consentaneæ, Ninumque Sardanapalum & Cyrum aptiſſime connectentes, unius Herodoti obſcuriſſimæ authoritati præferendæ omnino videntur. Obſcurum ejus teſtimonium dico, cum, quod ὡς ἐν παρόδῳ ſaltem Aſſyricam ætatem adjiciat, tum quod, ut dixi, nec principium, neque finem deſignet, quoniam iſta quinque ſæcula cum reliquis temporibus non conjungit, nec ſpatium inter defectionem Medorum & initium Dejocis primi regis exprimit, ita ut Aſſyricum tempus à reliqua hiſtoria fœdo hiatu maneat divulſum. Nec poſſunt ſcire ipſi diſſentientes ex hoc loco quamdiu in imperio Aſſyrii duraverint. Non enim dicit finitum eſſe imperium Herodotus, ſed à ſubjectis gentibus deſtitutum; quin multo poſt initium Dejocis

Phraor-

Phraortem adhuc Medorum regem cum ingenti exercitu deletum ab Aſſyriis fuiſſe teſtatur, donec tandem expugnata fuit Ninus quadraginta circiter annis ante initium Cyri. Sed quantum hæc urbis clades à defectione ſociarum gentium diſtet, accurate quidem niſi divinando interpretes ejus aſſequi nequeunt. Credunt tamen & ponunt defeciſſe Medos aliquandudum, viginti circiter annis ante initium Nabonaſſaris & regnum Babyloniorum, id eſt, *ducentis* fere *& decem* annis ante exordium Cyri in Perſis. Cui poſtulato nihil nos refragabimur, cum & narratio Herodoti de gentibus aliis Medos ſecutis & lenta apud hos reipublicæ mutatione intervallum non modicum flagitet, nec etiam Nini ætas in Chronologia Lydorum quam ha-

bet in *principio ejusdem libri* ab hoc calculo sit aliena. Sed tum mirari licebit, in id ipsum tempus hanc memorabilem Assyrici regni stragem ab Herodoto referri; quo prima in sacris regum Assyriorum mentio fieri cœpit, & à quo tempore non desierunt horrendis expeditionibus Asiam omnem ad ultimam usque Palæstinam & Ægyptum omni genere cladis vastare, donec immanes Sennacheribi exercitus, in Ægypto & Judæa divinitus prosternerentur, Primum, inquam, Assyrici regis nomen in sacris memoratur Pulis, qui *ducentis & decem* fere annis ante Cyrum vexavit Israëlem, quem postea brevissimis spatiis Tiglatphulasser, Salmanasser & Sennacherib exceperunt. Quid de hoc Herodoti cum sacris literis consensu magni viri existiment præ-

ſtolabimur. Nos Aſſyriorum res eum ignoraſſe non dubitamus, qui, qua tempeſtate omnium potentiſſimi belliſque longinquis clari in ſacris celebrantur, cunctarum eos gentium defectionibus deſtitutos fuiſſe ſcripſit. Plane exiſtimamus veriorem multo eſſe magni Scaligeri ſententiam, quam habet *libro 3. can. Iſag. pag. 314.* crebras ſane his temporibus fuiſſe defectiones per Aſiam, ſed non ab Aſſyriis verum à Medis, quod Herodotum longinquas narrationas ſequentem fefellit, Aſſyricos motus paſſive quomodo loqui liceat (cum debuiſſet active) accipientem.

§. 3. Quid alioquin Herodoto præ Cteſia ſit tribuendum, præ Luciano, qui utrumque ob mendacia in inferno puniri finxit Plutarchus optime judicaverit, qui

qui, uti Ctefiam fentit τὸ δραματικόν καὶ μυθῶδες non raro affectare, fic περὶ κακοηθείας Ἡροδότου, ut dicere occupavi, totum etiam librum compofuit, cujus capita, perinde ac in Ctefiæ invidiam factum, poffem hic congerere, fi tam alienis mendaciis quam propriis rationibus tueri communem fententiam curæ haberem. Sed Herodotus, ajunt, vetuftior Ctefia cæterifque veterum fuit, ideoque accuratiorem antiquitatum cognitionem habere potuit; & profecto, fi de numero militum quos Xerxes in Græciam duxit aut navium quas Athenienfes ad Salaminem habuere, difputaretur, nonnihil forte momenti hæc ratio mereretur; nunc quid annorum quadraginta difcrimen, quibus Herodotus Ctefiam præceffit, in vetuftate fefquimille annorum ad rem con-

ferre. possit ego non video, nec quisquam prudens dixerit, & si quid hoc prærogativæ, quanquam vix ac nec vix quidem possit, Herodoto dare videatur, id abunde Ctesias compensat eo, quod magnum ævi spatium in Perside & Assyria transegerit, cum nec Herodotus iis in locis fuisse unquam legatur; unde facilius in illarum gentium originibus vagis & fallacibius imperitorum relationibus fuit obnoxius; cum Ctesias regios etiam annales viderit, quos longe res Persarum superasse restatur sæpe Diodorus, cum ex iis etiam Medorum reges enarrat.

§. 4. At ne solus ambulare Herodotus videretur, magis ad numerum credo explendum, quàm ut ille juvaretur, quædam aliorum testimonia accesserunt, quorum primum est Theophili apud Lactan-

ſtantium *libro 1. de falſa religione*; ubi Thalum ait, docere, Belum quem Babylonii & Aſſyrii colunt antiquiorem eſſe bello Trojano annis trecentis viginti duobus, ſecundum quem calculum idem Belus & Aſſyriorum initium, Cyro eſſet vetuſtius annis nongentis quadraginta ſex. Ad quam collectionem reſpondeo, nihil facere hunc locum ad confirmationem Herodoti, cujus calculus ad minimum ducentis & octodecim annis recentior eſt, ut eum diſſentientes ipſi inducunt. Deinde non videtur hic fuiſſe Belus Nini Pater aut Anteceſſor, ſed alius junior Nino, de quo Illuſtris Salmaſius ad Solinum *pag. 87.* docet, Johannem Antiochenſem περὶ ἀρχαιολογίας ſcribere Thuram regem poſt Ninum Aſſyriis inperaſſe, quem *Belum* ſeu Areum nominarint at-

que *ut numen coluerint*, cujus & Suidas in voce *Thouras* meminit & Areum Africanus quoque post Ninum commemorat. Diversos fuisse Belos etiam magnus Scaliger putavit *libro 6. emend. tem.* aliumqud Beel vel Baal, alium Bel dictum Orientalibus.

§. 5. Sed Porphyrius, objiciunt, apudScaligerum ex Sanchoniatone Semiramidem Trojanis temporibus æqualem vel paulo superiorem fuisse refert. Imo non ex Scaliro sed ex se id refert Porphyrius jure ob id à Scaligero reprehensus *&* *absurdissimi seque indignissimi erroris* convictus. Idem argumentum ex Herodoto proferri potuisset, qui suam Semiramidem quinque ætatibus superiorem facit Nitocride, quam vixisse ait post captamà Medis Ninon, paulo ante ætatem Cyri, quod nos eadem

dem ratione refutabimus, qua modo Herodoti testimonium fregimus. Dici quoque posset non unam ejusdem nominis fuisse Semiramidem. Quidam olim Atossam Assyricam cum Semiramide confuderunt, ut est in Cononis *narratione 50.* apud Photium *Cod.186.*

§.6. Aliud est ex Macrobii *libro 1. in somn. Scip.* ubi ille à suo tempore ad Ninum, cujus filiam facit Semiramidem, duo millia annorum putat. Jam cum nongentis & quinquaginta annis post Cyrum Macrobius circiter floruerit, adeoque Ninum longe ultra mille annos ante Cyrum removeat, quid dissentientes (qui vix ultra septingentos) hic locus juvet, non video. Accedit quod ille non præcise bis mille annos dicat, sed *ultra*, quod in longum potest extendi, præsertim cum non Chro-

nologice hunc locum ſed perfunctorie tractet, cui rei pinguis & rotunda computatio ſufficere viſa eſt. Quod Semiramidem Nini filiam dixit, idem cum Conone ſenſit apud Photium *Cod.* 186. qui Σεμίραμιν οὐχὶ γυναῖκα κατὰ τοὺς ἄλλους φησὶ Νίνου γενέσθαι, ἀλλὰ θυγατέρα, *non conjugem Nini ſecundum, alios Semiramin fuiſſe, ut filiam;* ſed erronee, ut notat Photius.

§. 7. Ex his nullus eſt, qui cum Herodoto novaque ſententia conveniat, nec fere qui longius à nobis quam ipſis diſſentientibus abſit. Sed Uſſerius unum invenit, qui Herodotum examuſſim ſequeretur Appianum] Alexandrinum, qui in *præfat. operum* Aſſyriorum, Medorum, Perſarum τριῶν τῶνδε μεγίστων ἡγημονιῶν, *trium maximorum imperiorum*, inquit, οὔπω ὁ χρόνος ἐφίκνειτο τῶν ἑπτακοσίων ἐτῶν, *eorum*

tem-

tempora vix ad nongentos annos adscenderent. Nam si Persis ducentos & triginta, Medis centum, quinquaginta, Assyriis quingentos viginti tribuat, exacte nongentos colligit, omnia secundum Herodotum. Nec obscurum est, cur hanc omnium minimam computationem elegerit, quando ex tota illa præfatione liquet magis eum oratorem in hac parte quam historicum agere. Scopus enim ejus est ἐξοχὴν excellentiam imperii Romani præ aliis omnibus ostendere, non tantum à potentia & magnitudine sed à temporis etiam diuturnitate, ut nonnihil & hac ratione ad admirationem principis populi conferret; velut alius in præfatione sua historicus loquitur, qui & ipse orator simul ac historicus est. Appianus igitur ut instituto velificaretur, maluit Herodo-

tum Assyrica tempora in arctum contrahentem, quam reliquos solis Assyriis plus quam Romanis tribuentes, sequi. Sed ita nullum veritati præjudicium creatur.

DE REGNO MEDORUM DISSERTATIO V.

§. 1.

DIsputationi de Assyriorum temporibus conjuncta est de Medorum regno dubitatio, mota ab iisdem, qui Assyrica impugnarunt maximis viris; quæ nisi commode eximatur, actum erit de connectendo tempore-

re Assyriorum cum sequente historia, nihilque de fine Sardanapali principiocque Nini constitui poterit. Hunc scrupulum nobis iidem Ctesias & Herodotus eò dissensu reliquerunt, ut alterutrum certe fallere vel falsum esse oporteat. Et quidem Ctesiam, cum ex regiis Persarum membranis suas de Medis quoque traditiones excerptas profiteatur, mentiri, siquidem vera non loquatur, necesse est; quando per imprudentiam malitiamque aliorum, quod Herodoto forte contigit, tanto instructus subsidio labi non potuit. Nos cum primo dissensum ipsum exhibuerimus, conciliationes quibus nonnulli contrarietatem tollere satagunt, examinabimus, tunc utra videatur alteri præferenda opinio disceptaturi.

§. 2. Narrat Ctesias & ex eo Dio-

Diodorus *libo 2. cap. 32.* cum Sardanapalus post triplicem victoriam clade repentina oppressus & post biennalem obsidionem cum suis se combussisset, Arbacen creatum fuisse regem & Belesin Astrologum Babyloniis præfectum, sub fide tamen Arbacis; atque ita res Medorum ad tempus usque Cyri sub novem stetisse regibus; annos autem ab Arbacis initio usque ad Cyaxaris penultimi regis finem recenset ducentos octuaginta duos, sed Apandan quem Astyagen interpretatur quot annis regnaverit non expressit, quos ideo ad triginta quinque ex Herodoto potius quam ad quadraginta ex Africano; licet hunc Ubbo Emmius in Chronologia sequatur; supplebimus, ut omnino Medi sint regnati per annos septendecim supra trecentos; à quo numero quod a-
beat

beat Juſtinus nihil nos moratur, quia in temporis ratione, ſi forte corrupti non ſint numeri, auctoris ejus incuria multis argumentis perſpecta eſt. Alia vero ab his omnia refert in *libro primo* Herodotus; Medos cum ab Aſſyriis defeciſſent in libertate ſine ullo rege per multis annis vixiſſe, donec Dejoces juſtitiæ artibus inſignis civili aſtu favorem populi conſecutus rex omnium conſenſu crearetur, qui primo cœperit vicinos ſubigere, donec tres reliqui Phraortes, Cyaxares & Aſtyages everſa Nino ſummum in Aſia imperium conſequerentur. Ab utroque in diverſa abit Euſebius, qui ab Arbace ad Aſtyagen octo reges per annos ducentos quinquaginta novem Medis præ fuiſſe ſcribit, quanquam in Latina Hieronymus verſione ſententiam Herodoti in tranſitu referat.
Sed

Sed Eusebium annos Medorum corrupisse etiam Scaliger notavit, & sane cum Ctesiam in prioribus quatuor regibus sequi videatur, quod Sosarmum secundo loco ponat omisso Maudauce excusari non potest. Africanus sane apud Scaligerum *libro 2. canon. Isagog.* Ctesiam exacte descripsit, quemadmodum & Vellejus cæterique antiquorum non secus ac in Assyricis eundem Herodoto præferunt.

§. 3. Hæc autem discrepantia cum adeo sit conspicua, ut nullæ res æque sibi mutuo contrariari possint, miror tamen duos celebres Chronologos Funcium & Calvisium in conjunctione harum sententiarum tam evidenter impegisse. Nam Funccius *libro 1. commentar. Chronolog.* à Dejoce ad Astyagen usque, Herodotum secutus,

tus, ut prioribus etiam quinque regibus à Ctesia nominatis locum faciat, ait eos non tam fuisse reges quam dynastas vel præfectos ab Assyriis regendæ provinciæ missos, primùm autem defecisse regemque se dici voluisse Dejocem eodem fere tempore, quo Merodachus Babyloniis ad defectionem pellectis jure regio cœperit imperare. Quæ sententia totidem errores quot verba continet, Nam quod de præfectis in Mediam dicit missis tam Ctesiæ quam Herodoto quem laudat, diserte adversatur. Ille enim jure optimo reges scribit imperasse Medis, alter eos fuisse *αὐτονόμους πάντας ἀνὰ τὴν ἤπειρον* testatur, omnes fuisse liberos & sui juris per omnes provincias excusso penitus jugo Assyriorum, *τὰς δὲ πόλεις καθ' ἑαυτὰς διατεταγμένας διοικεῖσθαι δημοκρατικῶς*, civitates quas-

quasque separatim populari imperio fuisse administratas, ut ex Herodoti sententia Diodorus ait *libro 2. cap.32.* præterea & hoc falsissimum est, Merodachum Babyloniis regnasse primum, cum is quintus à Nabonassare primo rege, quod ex Ptolomæi canone docemur, fuerit.

§. 4. Nihilo felicior in conjungendis his traditionibus est Calvisius, qui ad annum mundi MDCCXVIII, cum Medorum regno tredecim atque trecentos annos tribuisset, ut eos conficeret simulque Herodotum & Ctesiam conjungeret, primos quinque reges ex Ctesia, posteriores quatuor ex Herodoto recenset & Arbiani quinto regi Dejocem primum apud Herodotum subjicit, cum juxta Ctesiam Arsæus sit secutus. Verum cum Dejocis initium juxta Hero-

Herodoti calculum incideret in medium Arbianis apud Ctesiam regnum, nec proinde hujus finis cum initio alterius connecti posset, rem ausus est, nisi forsan corrupto codice deceptus, tanto viro indignam. Articæ enim sive Artiæ quarto regi, quem Ctesias annis quinquaginta regnasse scribit totos octodecim annos detraxit regnoque ejus tantum triginta duos adtribuit, atque ita Arbianem non difficulter eodem tempore mori fecit, quo Herodotus cœpisse Dejocem testatur; quod non est conjungere sed confundere tempora & labefactare historiarum fidem. Etiam hoc peccavit, quod minus quatuor annos quam oportebat tribuerit Medis, nullum quidem auctorem sed præposteram conjunctionem suam secutus.

§. 5. Desperata igitur conjun-

ctione harum sententiarum, videamus utri major adhibenda sit fides. Qua de re magnus Scaliger *libro 3. canon. Isag. parte 2. ad verba IV. Dynastia Med.* ita loquitur. *Medorum reges & annos ordine exponit Diodorus Siculus, ita ut Regum aut annorum numerum alium ab hoc statuere hoc sit insanire, quum & numerum Regum & annos ipsos conceptos haberent διφθέραι seu κεφαλίδες Persicæ, in quibus omnes Reges & gesta tam Medorum quam Persarum perscribi solita perhibet Diodorus. Itaque ab illis discedere est historiæ præscribere.* Et quoniam profecto Assyrica tempora nulla ratione cum olympiadum æra, nisi per quinque reges ante Dejocem connecti possunt, dubium non est, quin multo sit commodior historiæ studiosis Ctesiæ quam Herodoti sententia, cum illa unam & con-

continuam geſtarum rerum ſeriem exhibeat, hæc primam & nobilem earum partem velut in alto deſtitutam & inacceſſis undique ſpatiis præciſam tenebris & ignorationi exponat. Illud utique negaturum neminem puto, quin validas expectare machinas debeamus, priuſquam adeo utilem & ſalubrem ſentiam patiamur expugnatam videri. Nos equidem non tam ob hanc potiſſimum commoditatem, quam quod revera ita ſimus perſuaſi aperte cum antiquis & recentioribus pleriſque in caſtra Diodori & Cteſiæ tranſibimus. Venire autem in quæſtionem cenſemus intervallum ab Arbacis initio uſque ad Dejocem Herodoti; id eſt primam & paulo pluſquam dimidiam partem annorum ſeptendecim & trecentorum, quibus omnino Medos floruiſſe credimus. Nam quæ

posthæc narrat Herodotus, nihil vetat quominus cum Ctesia & ipsa veritate conveniant. Nam & tempora quatuor illorum regum posteriorum, parum abest quin consentiant, nec res gestæ mutuo pugnant, & quod nomina sint diversa frequens id esse apud Barbaros notissimum est & à Strabone in *fine libri 16.* notatum; certe Apandanem fuisse eum quem Græci Astyagen dixerunt ipse Diodorus affirmat, & Astybarem esse Cyaxaren notum etiam vulgo habetur.

§. 6. Sed priores, inquam, Herodoti traditiones vehementer ad fabularum similitudinem accedere videntur; Præterquam enim quod defectiones subditarum Assyriis gentium, quod caput est harum de Medis narrationum, cum sacrarum literarum fide consistere non possint,

poſſint, ut ſuperiori diſputatione oſtendimus, neminem porro hæc Medica Herodoti lectura m credo, qui ſe non quodammodo in aureo Poëtarum ſæculo & beatis Heroum temporibus verſari putet. Medos, ait, excuſſo Aſſyriorum imperio per vicos ſparſim habitaſſe, neutiquam una conjunctos republ. ſed ſuo quemque pagum arbitratu ſe gubernaſſe, Judicibus ſaltem controverſiarum utentes; quos inter cum æquitatis obſervantia excelleret quidam Dejoces ad hunc non ſui tantum homines vici ſed ſenſim quoque vicinos & pleroſque Medorum affluxiſſe, qui tandem viri virtutem admirati & aſtu ejus circumventi communi ad eum conſenſu regnum detulerunt, perinde ac olim priſci mortales Heroibus ſuis regna largiebantur. Si hæc narrata ſuſpectam

fidem ſuam ultro lectori non produnt, conſiderabimus paulo propius ſingula, & primo *ſparſos ait habitaſſe per vicos*, poſtquam ſtrenue cum Aſſyriis pro libertate pugnaverant. Mirum eſt, niſi Aſſyrios internecione deleverint, per quos tam ſecure plurimis annis agere ipſis licuerit; at vero cum tam potentes per illa tempora fuerint Aſſyrii, ut Ægyptios & Iſraëlitas innumeris copiis infeſtare potuerint, quod in ſacris legimus, quis falſum eſſe non videt Medos eorum vicinos & rebelles ſecure vicos incoluiſſe agreſtes? Præſertim cum *ſua quiſque pagus Republica uteretur*. Quid poſſet alienius ab omni ſimilitudine veri excogitari? Deficere à dominis ſuis, bellum pati continuum (nam aliter fieri non potuit tam validis iſtis) potentes habere & implacabiles

hoſtes

hoſtes, ac interim diſtrahere vires ſuas, quæ non modo continendæ, ſed externis etiam fœderibus augendæ erant; ut in omnibus fit violentis revolutionibus. Præterea non reges aut belli duces ſed *qui res judicarent homines ſibi præfecerunt.* Scilicet, quo pacto ſe res Aſiæ hac tempeſtate habuerint Herodotus ignorabat, adeoque Medos in alta pace vixiſſe aut finxit aut ſane fingentibus credidit; quod tamen neceſſario eſſe falſum è ſacris, ut dixi, literis abunde patet. Nam ultima Sennacheribi expeditio illa immanis in id fere tempus incidit, quo Herodotus electionem Dejocis à Medis agitatam eſſe ſcribit, & annis quinquaginta retro florentiſſimi Aſſyriæ reges belliſq; clari in iiſdem ſacris memorantur. Eos fuiſſe paſſuros, ut Medi rebelles tam vicini, tam diviſi

visi & injuriæ patentes tuta libertate fruerentur, quis tam est insanus ut credat? His demonstrationibus accedit & illud, quod populariter Medorum Respublicas Herodotus ait esse gubernatas. Eum ego Scriptorem videre velim qui in Asia superiore democratiam commemorârit unquam. Eas nationes quas servituti natas, regnis innutritas, libertatis impotentes omnis historia loquitur democratias inter se constituisse? Atqui hi sunt populi quibus τὸ φύσει δεσποτὸν Aristoteles tribuit, quos τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν ὑπομένειν οὐδὲν δυσχεραίνοντας, affirmat, *dominatum ferre æquo animo*; inter quos eminuisse Medos etiam Maro cecinit, *Regem non sic Ægyptus & ingens Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes Observat.* Ἀσσύριοι καὶ Μῆδοι τὰς τυραννίδας προκεκινοῦσι,

κυνοῦσι, Aſſyrios & Medos dominationes adorare ait Apollonius *apud Philoſtratum*; Libertatem & imprimis popularem libertatem ne quidem à facie noverant; ſed omnes Aſiatici, quemadmodum Cappadoces apud Juſtinum *libro 38.* animati erant, qui oblatam à Romanis libertatem, quod vivere gentem ſine rege poſſe negarent, reſpuebant. Cæterum ex his facile intelligitur, nihil profuturam contra ſuperiores objectiones, ſi forte moveatur, exceptionem, quod Medos ſcribat Herodotus diu ſtrenue contra Aſſyrios pro libertate pugnaſſe; dein potuiſſe eos ſtabilita pace ſuo arbitratu vivere. Tentari enim id poſſet, ſi Aſſyrios vel deletos à Medis vel ſubactos conſtaret; nunc cum eo ipſo tempore quo in umbra altæ pacis floruiſſe Medi dicuntur, certum ſit Aſſy-

rios & potentissimos fuisse & continuo in armis, nullam fidei speciem hæc responsio exhibet.

§. 7. Infractis Herodoti traditionibus sola superest Ctesiæ & Diodori sententia, quam quidem veram cum nulla sit alia, per se jam esse oportet; sed videndum tamen, quo pacto ea quæ objiciuntur commode removeri queant. Duo autem imprimis speciose nobis opponi videntur, quibus verisimile reddi possit Medos sub Assyriis fuisse regnumque eos peculiare non constituisse ante exitum Esarhaddonis Assyrii & initium Dejocis Medi; quæ quidem pro Herodoto non esset ratio, sed & hunc & Ctesiam everteret. Videamus autem quænam sint ista, ut si removeri possint tanto sit vulgatá opinio firmior. Prima est, quod Salmanasser rex Assyriorum Medis quoque im-

imperasse videatur, cum Israëlitarum captivorum colonias in Mediam transtulerit, ut legitur *libro 2. Regum cap. 16. vers. 6.* Sed absurdi nihil dicam, si Mediæ tantummodo partem aliquam Assyriis fuisse obnoxiam inde sequi contendero, quæ etiam sententia Magni est Scaligeri *libro 3. can. Isag. loco ante citato.* Nec est, quod cuiquam hæc interpretatio remotior à sensu verborum videatur; In omni quippe ambiguitate ea est explicatio recipienda, quæ vitio caret, aliisque certis rationibus non adversatur: neque vero exemplis destituimur quibus eadem responsio in similibus controversiis duriori interpretatione à doctissimis viris usurpata est. Nam hodie inter eruditos omnes constat, postremum Babyloniorum regem non fuisse Belzasarem, sed Darium

Medum, cujus Daniel Propheta meminit, eumque esse Nabonidum seu Labinytum, ut ab Herodoto & Beroso apud Josephum appellatur; nec fuisse hunc Cyri socerum aut regem Medorum, ut falso ante hac è Xenophontis Cyropædia plerisque erat persuasum, sed tantum ratione & origine Medum: Verum is tamen legem in odium Danielis tulisse fertur *capite sexto*, secundum jus Persarum & Medorum. Quid ergo? Rex Chaldæorum an jure externo fert leges? Non potest alia excogitari responsio, quam partem Mediæ atque Persiæ Babylonios adhuc tenuisse, legemque in istis partibus nempe Susis rogatam esse latamque; hanc responsionem cum homines docti habeant pro certa, ratio nulla est, cur nostra ad locum alterum improbanda sit; Nam si

ſi Darius ferre legem potuit jure regnorum, quæ modica ex parte tenebat, quid ni Salmanaſſer exules in partes Mediæ, quæ parebant ei deportare potuerit? cum & alias in extrema fere imperiorum id genus coloniarum transferri ſoleat. Nimirum non ſuos modo Aſſyrii terminos à Medorum dominatione vindicaverant, ſed & Mediæ ipſius partem inſederant; quemadmodum & Chaldæi cum Aſſyriorum exemplo à Medis, ut mox audiemus, defeciſſent, partem ut videtur, non exiguam Perſiæ atque Mediæ ditionibus ſuis adjecerunt.

§. 8. Secundum, quod Medorum regno objicitur argumentum non Medis tantum ſed omni Aſſyriorum hiſtoriæ totique Cteſiæ narrationi obſtare videbatur, & eſt illud ipſum, quo nos aliquoties ad Herodoti refutationem ſu-

mus usi. Nimirum post illud tempus quo Sardanapalus ab Arbacto dicitur interfectus, Assyrios adhuc floruisse, bellaque maxima, de quibus locuti sumus tota Asia gessisse. Unde & falsum videri posset Assyricum imperium in nece Sardanapali hoc tempore esse finitum, multoque falsius summum imperium ad Medos esse translatum. Sed hoc telum diu provisum & à doctis hominibus amotum est; quanquam Johannes Funccius quique eum secuti sunt vulgo omnes Chronologi minime σοφὸν φάρμακον adhibuerunt. Nam hi statim è Sardanapali cineribus regnum Assyriorum Babyloniæ recens esse natum auctore & primo regeBelocho tradiderunt,quemBelesin vocat Diodorus, quemque isti Pulem, qui in sacris primus Assyriorum regum memoratur, fuisse conten-

contendunt, eundemque habent Salmanassarem, quem Ptolomæi canon Nabonassarem appellat, quod post Scaligerum à Calvisio aliisque est refutatum. Præterea Belesin & Arbacen in partes sibi singulas imperium distribuisse, vel, quod aliis videtur, Arbacen à Belesi in Mediam ut præfectum provinciæ fuisse ablegatum, & Belesin quidem regiam sedem Babyloniæ tenuisse, successores ejus Niniven habitatum profectos, donec in Eserhaddone penitus deficerent. His commentis, cum ab aliis dudum sint protrita, nos refutandis non immorabimur; saltem quod de Belocho seu Belesi novæ Monarchiæ authore narrant, quam sit falsum, solo ex Diodoro, qui unicus harum rerum auctor fide aliqua dignus est, satis constat. Testatur enim is Belesin, Astrologum fuisse

ſe Chaldæum, qui auctor quidem Arbaci fuerat defectionis magnaque apud rebelles authoritate erat, ſed ut dignatione Arbaci æquaretur tantum abfuit, uti furti quoque & peculatus judicio favore Arbacis ægre fuerit ereptus. Babyloniæ præfecturam in eventum victoriæ ſibi promiſſam, conſecutus eſt; ſed de jure regio tam falſum eſt quam id verum, annis demum centum & viginti ſex poſt Sardanapali mortem Babylonicum regnum Nabonaſſaris auſpicio conſtitutum fuiſſe: Neque vero id ſequitur, in ſacris primi regis Aſſyrici mentio eſt Pulis expeditionem Iſraëliticam moventis; ergo is primus omnino eſt rex Aſſyriæ; multoque abſurdius eſt, illum Pulem fuiſſe Beleſin vel Belochum, quando bellum Menahemo Iſraëlitæ centum poſt Sarda-

danapali exitium annis intulit;

§. 9. Missis igitur nugis videamus an veritas certiori aliqua ratione investigari possit. Quam in rem ductu Orosii non incommode videmur usuri, qui *libro 1. cap. 19. Exin*, ait, *regum Assyriorum imperium in Medos concessit, deinde multis praliis undique scatentibus, quæ per ordinem disserere nequaquam aptum est, per varios proventus ad Scythas Chaldæosque & rursus ad Medos parili via rediit.* Quæ verba totam gestarum rerum seriem & Asiæ statum inter exitum Sardanapali ac initium Cyri breviter repræsentant. *Exin*, ait, id est, post necem Sardanapali *regum Assyriorum imperium in Medos concessit.* Non poterat Orosius ignorare ut Christianus fuisse aliquandiu postea reges adhuc Assyriæ, quod tamen minime censuit

impedire, quominus tunc quidem translatio imperii ad Medos sit facta, præsertim cum centum anni intercesserint ab eo tempore quo Sardanapalus periisse traditur, usque ad primam Pulis Assyrii mentionem in sacris. *Deinde multis præliis undique scatentibus*; Post Arbacem res in Asia prorsus turbatas fuisse indicat & res loquitur, cum quæque gens suos peculiariter reges habuerit, ut Eusebius *num. 1197.* testatur & historiæ regum Assyriæ, Babyloniæ, Syriæ aliorumque ostendunt: at sine bellis nec Medorum potentia dissolvi, nec separatim regna fundari potuerunt. Igitur dubitandum non est, quin ipsi Assyrii simul fere cum Babyloniis vel paulo ante defecerint à Medis, quod Scaliger magnus non uno loco scripsit. Et sane cum alterutrum sit necessarium vel Me-
dos

dos defeciſſe ab Aſſyriis vel hos ab illis, & nos prius quidem, quod Herodotus vult, fieri non potuiſſe oſtenderimus, conſentaneum eſt, ut Aſſyrii recentis jugi ab Arbace impoſiti, cum ipſi dudum aliis gentibus imperare conſueviſſent, impatientes, mortuo illo tumultuati ſint Regemque ſibi popularem præpoſuerint, qui ſpe veteris fortunæ *Ninum* appellari ſe voluerit, qualem poſt Sardanapalum regno apud Aſſyrios potitum eſſe Caſtor Rhodius aliquoties nobis dictus, in libris τῶ χρονικῶν ἀγνοημάτων apud Euſebium in *Chronici* λόγῳ πρώτῳ teſtatur, qui brevi ita increverunt; uti & partem Mediæ, quod audivimus, & Arabiam aliaſque regiones imperio ſuo addiderint, quando & Herodotus Sennacheribum Aſſyriorum & Arabiæ Regem nominat; Eorum procul-

dubio exemplum ſecuti ſunt Babylonii principe Nabonaſſare: Atque hæc ſunt *quæ per ordinem differere nequaquam apta eſſe* dicit Oroſius; dein *per varios proventus ad Scythas* devolutum eſſe imperium ait. Cum Aſſyriorum fortuna diu Medis ſuperior fuiſſet, tandem poſt Sennacheribi horribilem cladem rebus Eſarhaddonis filii in artum redactis, caput Medi extulerunt & protendere imperium, gloriamque & potentiam recuperare cœperunt; quod forſitan Herodoto impoſuit, ut cum Dejocem (quem eundem eſſe qui Cteſiæ Articas dicitur, nihil obſtat) fortunæ gentis auctorem præcipue celebrari audiret, primum omnium hunc fuiſſe regem putarit. Jam quod de Scythis Oroſius habet ex Herodoto promtum eſt, qui per annos viginti octo Medos Aſiæque magnam

gnam partem tumultuaria ab illis dominatione oppreſſam fuiſſe ſcribit; his Chaldæos ſubjungit Oroſius, non ſane quod eorum regni poſt Scythas id initium fuiſſe velit, ſed quod ad ſummam tunc gloriam potentiamque ſub Nebucadnezare pervenerint, *Et rurſus ad Medos parili via rediit*; hoc quoque non de regno ſed magnitudine ejus accipiendum, quam Cyaxares penultimus Mediæ rex oppreſſis Scythis & occupatâ Nino, Nabuchodonozore à poteſtate rationis alienato ad ſummum produxit, adeo ut Nitocris uxor, ut Scaligero videtur, Nabuchodonoſoris, Babyloniam ejus metu accuratius muniendam duxerit, ut Herodotus auctor eſt. Atque ita ſe res Aſiæ à Sardanapalo uſque ad Cyrum, ut colligere licet, habuerunt. In quibus tam pro utilitate Chrono-

logica, quam fide hiſtoriæ conſtanter tenendum eſt, novem Medorum reges continuo ſucceſſionis ordine per annos trecentos & ſeptendecim imperaviſſe, uſque ad initium Cyri; quod cum inciderit in annum primum olympiadis quinquageſimæ quintæ; conſequenter Sardanapali interitum neceſſe fuit incidere in annum ante primam olympiadam centeſimum; atque ſic omnis Aſſyriorum ætas, quæ alioqui funditus perierat, commodiſſime cum Perſicis Græciſque temporibus connectitur.

§. 10. Corollarii loco etiam illud hinc liquet, admodam fatuam eorum eſſe opinionem, qui cum quatuor catholica imperia, quæ dignitate & potentia cæteris præſtiterint in mundo floruiſſe ſtatuant; quibus Monarchiarum nomen dederunt; earum primam

volunt

volunt Aſſyriorum fuiſſe à Nino conditam, in Sardanapalo diviſam, à Cyro extinctam. Jam enim nemo dubitat, quin Aſſyricum imperium in Sardanapalo non diviſum ſed penitus ſepultum fuerit; quod ſi poſtea inſtauratum eſt, nec continuum tamen id imperium nec præcipuâ ſemper potentia fuit. Nequidem Æmilii Suræ apud Vellejum ſententia omnino probari poteſt, qui poſt Aſſyrios in ſumma potentia Medos, his Perſas, Græcis Romanos ſubjungit & ſic quinque Monarchias, quomodo nunc loquuntur, ſtatuit. Licet enim Medi primo & extremo tempore ſummam potentiæ habuerint, quoniam tamen interim Aſſyrii, Scythæ, Chaldæi varie prævaluerunt, ut è ſacris partim & ex Herodoto intelligimus; vix eſt ut interruptam hanc magnitu-

dinem inter Catholica imperia recenſere liceat. Plane quod jactatur de continuata Monarchiarum ſucceſſione & numero præciſe quaternario in Eccleſiaſtica hiſtoria perſpicuum, in civili obſcurum & exiguum habet uſum, ut alibi oſtendendum.

DE EXITU ASTYAGIS DISSERTATIO VI.

§. I.

CYrum Majorem regnare cœpiſſe in Perſis anno primo olympiadis LV. magno Veterum conſenſu traditum eſſe, autor

autor eſt Euſebius *libro 10. præparat. Euang.* idemque ex fine Perſarum liquet, qui accidit haud dubie anno ſecundo olympiadis CXII. A. Cornelio, Cn. Domitio Romæ conſulibus, uti cum aliis Diodorus *libro 17. cap. 62.* teſtatur. floruit autem Perſarum imperium annis præciſe ducentis viginti novem, ut ex dinumeratione annorum cujuſque regis apud Herodotum & Diodorum patet, modo ipſi Cyro non annos viginti novem cum Herodoto ſed triginta cum Cteſia *libro 30.* & Cicerone tribuamus. Eundem numerum ſed rotunde, ut par erat, Darius apud Curtium edidit *libro 4. cap. 14.* *Forſitan ita Dii fata ordinaverunt, ut Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per ducentos & triginta annos ad ſummum faſtigium evexerant, magno motu concuterent ma-*

gis quam afligerent. Ducenti porro & viginti novem anni ab secundo olympiadis centesimæ duodecimæ anno subducti relinquunt præcise annum primum, quem diximus, olympiadis LV. Nec omnino dubitatur, quin hoc sit notissimum Cyri principium, cardo civilis historiæ & vinculum, quo vetustior cum recentiori historia solide uniceque connecti potest. Sed hoc controversum est, an Cyrus statim atque in Persis regnum condidisset vel anno saltam proximo Astyagen sit aggressus & everterit, an aliquot demum annis postea inter avum & nepotem ortum sit bellum, regnumque & dignitas Medorum in Persiam translatum, quæ disputatio & ad Medici regni historiam directe pertinet & Assyricis temporibus cum olympiadum æra conjun-

jungendis eſt neceſſaria. Nam ſi diverſis temporibus deſierit Aſtyages & cœperit Cyrus, aliud quam olympiadis LV. initium pro fine Medorum erit conquirendum, & conſequenter nec Sarnanapalus centeſimo ante primam olympiadem anno perierit, ſed recentiora aliquot annis omnia eſſe oportet. Quanquam autem modicum ſit diſſenſionis intervallum, Cyri tamen principium, quod tanti eſt in Chronologia momenti, ne pauciſſimis quidem annis expediet eſſe incertum.

§. 2. Diviſa autem eſſe temporibus principium Cyri & exitum Aſtyagis Magnus Scaliger arbitratur, lociſque cum multis tum *in notis ad fragm. Porphyrii* ita ſcripſit. *Imperite faciunt, qui anno primo Cyri, hoc eſt anno primo olympiadis LV. Aſtyagen à Cyro victum ſcribunt,*

bunt, cum Cyrus à Persis Rex electus ante Astyagis cladem aliquot annis regnarit, & in hus turbat Eusebius. Quot autem annis Cyri principium antecedat exitum avi paulo anre expresserat, *Astyagen constat captum à Cyro anno olympiadis LVI. hoc est anno ducentesimo vigesimo primo Iphiti.* Idem fere doctissimus Ubbo Emmius *libro 5. rerum Chronolog.* sequitur, finemque Medorum & Astyagis anno ultimo olympiadis LV. non primo adscribit; sed iterum in *rebus vet. Græc. ex. Herodoto*, primam Cyri defectionem nostro quidem anno olympiadis LV. primo adtribuit, sed exinde usque ad exutum Astyagem totum intercessisse octennium quasi ex annalibus refert, quod scire vehementer velim unne sit depromtum; nam apud Herodotum, cujus compendium eo

libro

libro profitetur nihil tale reperio. Nos contra persuasi primo id agemus, ut initium Cyri cladem que postremam Astyagis in idem circiter tempus incurrere, adeoque finem Medici regni in ipsam olympiadem quinquagesimam quintam surgentem vel quinquagesimam quartam desinentem, ut Eusebius habet, incidisse ostendamus.

§. 3. Hujus rei invictum argumentum ex Diodori *libro 2. capite 32.* habemus, ubi discrepantiam Ctesiæ & Herodoti exponens hæc verba habet auctor. Κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑπτακαιδεκάτης ὀλυμπιάδος ᾑρέθη βασιλεὺς ὑπὸ Μήδων Κυαξάρης καθ' Ἡρόδοτον. Id est, *Nam secundo decimæ septimæ olympiadis anno, ut Herodotus tradit, Rex à Medis Cyaxares electus est.* Primo id concedendum est, per Cyaxaren nullum hic alium à Diodoro

quam

quam Dejocem apud Herodotum esse intelligendum. Hoc neminem esse negaturum, qui narrationem Herodoti cum verbis Diodori contulerit, nequaquam, cum res tam perspicua sit, dubitamus. In Cyaxarem enim quem Herotus vocat, Astyagis Patrem minime omnium quæ Diodorus de hoc Cyaxare narrat, conveniunt. Quæ sit Herodoti de principio Dejocis traditio ex superiori disputatione intellectum est; Videamus quam sint eadem quæ Diodorus de suo Cyaxare loquitur; Ἔπειτα βασιλέα μὲν μηδένα γενέσθαι τὸν ἀμφισβητήσαντα τῶν ὅλων ἐπὶ πολλὰς γενεὰς, τὰς δὲ πόλεις καθ᾽ ἑαυτὰς ταττομένας διοικεῖσθαι δημοκρατικῶς, τὸ δὲ τελευταῖον ὑπὸ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων αἱρηθέναι βασιλέα παρὰ τοῖς Μήδοις δικαιοσύνῃ διάφορον ἄνδρα ὄνομα Κυαξάρην. *Postea* (cum Medi ab

Asty-

Aſſyriis defeciſſent) *neminem per multas generationes universa Media potitum fuiſſe, ſed urbes ſeparatim conſtitutas populariter gubernatas eſſe. Tandem poſt multum temporis elapſum; Regem à Medis electum fuiſſe virum juſtitia inſignem nomine Cyaxaren.* Hæc cum verbotenus ex Herodoti loco de Dojoce ſint exſcripta nemo tam alienus ab uſu rationis erit, qui de alio quam de ipſo Dejoce intelligere velit, ſive duplex ille nomen, ut frequentiſſime in orientalibus fit, habuerit, ſeu vitium hoc, ut multa alia, librariorum fuerit; utique hic primum à Diodoro Medorum regem deſcribi non penultimum ſingula pene verba loquuntur. Id igitur conſtat Dejocem regnare cœpiſſe apud Medos ſecundem Herodotum, quem Scaliger etiam ſequi ſe profitetur, anno ſecundo olympiadis

decimæ ſeptimæ; regnatum eſt à tribus poſt eum Regibus annis centum & quinquaginta id eſt olympiadibus triginta ſeptem annis duobus, quibus ſi præcedentes accedant, olympiades quinquaginta inde quatuor exſurgunt completæ; unde irrefragabili ratione liquet Aſtyagen ſuccubuiſſe anno ultimo, ut ſcribit Euſebius, dictæ olympiadis vel ſaltem primo quinquageſimæ quintæ; adeoque cladem Medicam & exordium Perſicum conjunctas res fuiſſe. Atque ita etiam ſenſiſſe illos veteres, quorum Euſebius *libro* 10. προπαρασκ. meminit, Africanum, Caſtorem, Thallum, Phlegontem, Polybium & alios, argumento eſt abunde, quod Euſebius ipſe in Chronico ſuo canone eam traditionem non alia ſane authoritate ſit ſecutus; Cui enim potius hac in

in parte habeamus quam qui ipse scriptores eos vidit atque descripsit?

§. 4. Ex his proclive nobis erit ad Scaligeranam objectionem respondere, quam ex superiori loco Diodori colligit; quem vult mendosum numerosque esse corruptos. *Iam dudum*, inquit, *mendum apud Diodorum notavimus apud quem legimus Cyaxarem regnum inivisse anno secundo olympiadis XVII, quum legendum sit ὀλυμπιάδος λζ non autem ιζ. Est enim error librarii non auctoris.* Censet in antiquis codicibus annos compendiosis notis fuisse expressos, unde 17. irrepserit pro 37. quam olympiadem Cyaxaris initio adscribere eum novimus, cum tamen is ad olympiadem trigesimam sextam annum secundum potius sit referendus, ut ex Herodoto à priori & po-

ſteriori ὀφθαλμοφανῶς oſtendi poteſt, quanquam Scaliger eum, quod ſatis mirari nequeo, auctorem ſententiæ ſuæ laudat. Primo enim à Dejoce ad Cyaxaris initium numerat exacte Herodotus annos ſeptuaginta quinque, id eſt annos tres ſupra olympiadas octodecim, totidemque præciſe poſt primum ejuſdem annum uſque ad finem Medorum; adeo ut ſive ab anno ſecundo olympiadis XVII. ſive retro à primo olympiadis LV. id eſt à Dejocis aut à Cyri initio, ſemper exordium Cyaxaris in finem primi vel initium ſecundi anni olympiadis trigeſimæ ſextæ incidat; Euſebius eundem quidem annum, quem Scaliger, expreſſit, ſed & hunc vir ſummus Medorum tempora corrupiſſe & ſe Herodotum ſequi identidem profitetur. Unde nec id credere licet,
eum

cum Astyagi secundum Africanum annos quadraginta tribui voluisse, quo alioquin additamento fieri poterat, ut clades Astyagis olympiadem quinquagesimam quintam excessisse videri posset; sed inquam, nec hunc sequitur Scaliger, nec est cur in tam propinquis temporibus Herodoto Africanum præponamus.

§.5. Igitur nihil adfertur cur dubitandum sit, quominus verissime scripserit Eusebius defectionem Cyri victoriamque contra Medos continuo temporis tractu eodemque hauddubie anno contigisse; neque enim obstat quod proferri posset, verisimile non videri, duo maxima prælia tantosque rerum motus à Cyro tam celeriter confici potuisse, ut prima ejus rebellio cum ultima victoria in idem tempus inciderit; nihil

enim impedit, cur non intra anni vertentis circuitum Astyages à quo ipsimet Medi summopere erant alienati, absolvi potuerit. Nam & narratio Herodoti harum rerum prope unici auctoris sic comparata est, ut continuam brevemque belli seriem perspicue repræsentet. Ἀστυάγης δὲ, inquit, ὥς ἐπύθετο Κῦρον πρήσσοντα ταῦτα &c. Μήδους ὥπλισε πάντας; &c. *Cum intellexisset Astyages Cyrum Persas ad defectionem pellexisse Medos omnes armavit*; non igitur distulit expeditionem in annos integros, sed statim priusquam vetustate corroboraretur rebellio, ut consentaneum erat & civilis ratio credere jubet ad opprimendam eam contendit. Denique cum totam narrationem absolvit Herodotus, Οὕτως δὴ Κῦρος, subjicit, γενόμενός τε καὶ τραφεὶς καὶ ἐβασίλευσε καὶ Κροῖσον &c.

Ita Cyrus natus & educatus & regno potitus est & Crœsum &c. Postquam Medos debellasset tum demum regno eum potitum esse tradit, cum plena jam victoria esset & regni secura possessio. Sic Alexandri Persicum regnum non ab ingressu in Asiam sed à pugna ad Gaugamela & morte Darii: Sic & Augusti imperium ab Actiaca victoria, non ex quo primum à Republica defecit & bellum gerere & principatum cœpit affectare, deducimus. Hinc & Justinus ex Trogo *libro. 2. in fine c.6. & princ. 7. Hic finis Medorum imperii fuit* & mox; *Initio regni Cyrus.* Idem rerum & narrationis ordo est in excerptis Ctesiæ apud Photium, omnesque reliqui veteres hac methodo loquuntur.

§. 6. Sed illud ex hac sententia videtur incommodum fluere,

quod accurata conciliatio testimoniorum Ctesiæ & Callisthenis de tempore Assyriorum & Babylonico, quæ Scaligerana hypothesi nititur, per nostram evertatur. Scaliger enim à principio Cyaxaris penultimi regis Medorum, calculos Ctesiæ retro subductos usque ad initium Assyriorum, cum observationibus Callisthenis, quæ ab Alexandro Magno repetuntur, confert ac examussim componit; ut exinde necessario liqueat, verissima Ctesiam monumenta in illis antiquitatibus esse secutum: at cum nos Cyaxarem tota olympiade altius quam Scaliger, removeamus, fieri necesse est, ut similiter quadriennio computus Ctesiæ differat à Callisthene; sed respondemus, ob levem in tot sæculorum intervallo discrepantiam nihilo infirmius esse desumptum à

Ctesiæ & Callisthenis consensu argumentum; & videre quos velim vel aliorum Veterum vel his diebus Chronologorum, qui sesquimille & quod accedit annorum spatium tam modico dissensu in ætate mundi aliave historiæ parte sint confecturi; quanquam si Astyagi quadraginta annos cum Africano adscribimus, tum denuo accurata illa conciliatio haberi potest, si quid in illa sit momenti.

DE EXITU Sardanapali & mantiſſa de Nimrodo

DISSERTATIO VII.

§. I.

FIrmata, ni fallor, ſatis eſt regni Medici & Aſſyriorum ætas & in perſpicuo certoque collocata, niſi quod duo ſcrupuli circa primum & ultimum regem Aſſyricum remanſiſſe videantur, quorum poſteriorem, quod cum præcedentibus cohæreat, primo expediemus. De Sardanapali, inquam, exitu in tres potiſſimum opiniones viri docti, quantum nobis conſtat, iviſſe videntur, quarum prima vulgatæ de Aſſyriis Mediſque

que doctrinæ & auctoritati Ctesiæ est consentanea, reliquæ diversis hypothesibus serviunt, quæ breviter nobis excutiendæ sunt, quando certa quidem communis sententia esse nequit, dum probabiles istæ opiniones existimabuntur.

§. 2. Prima singularis sententia est *Celeberrimi Armachani* qui ad annum mundi conditi MMMCCXXXIII, scribit Sardanapalum videri esse filium Pulis Assyriorum regis, qui Menahemum Israëlitam instituta expeditione obnoxium sibi, ut ante nobis dictum, reddidit. Huic anno ab illa expeditione quarto successisse Sardanum filium, qui à Parente Pulis cognomine accepto dictus est Sardanpulus & à Græcis Sardanapallus. Post viginti annos evertisse eum Arbacen Medum &

Belesin Babylonium, sed illum suis libertatem & αὐτονομίαν dedisse, hunc novum Babyloniæ regnum condidisse & eundem esse qui à Censorino & Ptolomæo Nabonassar appellatur. Eodem autem tempore juniorem Ninum, qui sit idem cum Tiglatpilesere in sacris literis, Assyriæ regnum ad proprios terminos jam redactum instaurare cœpisse & bellis inclarescere. Miræ omnes & hactenus res inauditæ, sed ut ipsum non puto authorem negaturum meræ conjecturæ, tam facile nullaque ratione refutandæ quam sunt adstructæ. Nam Sardanapalum fuisse Pulis filium, si non alio quam nominis argumento docet, admodum sane id leve est, cum pluribus Assyriorum nominibus fuerit hoc additamentum commune; dein quod partim Ctesiam partim Herodotum sæpe neu-

neutrum sequatur quo id faciat exemplo vel ratione ignoro; Arbacis & Belesis bellum in Sardapalum habet è Ctesia, Libertatem Medorum secutam ex Herodoto, sed eam esse ab Arbace datam ex neutro & ex nullo. Rem enim absurdam quis scripserit? Arbacen ideo bellum movisse & Sardanapalum ad mortem adegisse, ut democratiam in Media constitueret, non ut sibi principatum pararet; permisisse autem Belesi obnoxio sibi & inferiori regnum in Chaldæis vindicare; imo ne quid desit miraculi, Ninum juniorem vivo & vidente Arbace qui Ninivem ceperat, Assyriam subegerat & rex salutatus erat, ut ipse Author ex Atheneo & Diodoro narrat, ipso anno quo hæc contigerant Assyricam Monarchiam instaurasse. Qui hæc absurditatis & con-

contradictionum absolvet, ei rationibus utendum erit inusitatis. Non minus ego hæc miror quam quod postea deserto repente Herodoto referat ex Xenophonte (quem Cyropædiam suam philosophice potius quam historice scripsisse jam dudum constat) Cyrum nunquam bellum fecisse avo suo, Astyagen in regno defunctum eique Cyaxarem filium successisse, contra omnium aliorum fidem; quemadmodum & in eo Herodotum deserit, quod post Esarchaddonis sive Assaradini exitum, Babyloniorum reges Niniven occupasse, regnumque Assyriorum cum Chaldaico conjunxisse, ductus conjecturæ suæ persvasione scribit, cum Herodotus Niniven ad extremum usque suo usam imperio, donec à Cyaxare occuparetur, nec ab alio possessam fuisse testetur.

§. 3.

§. 3. Multo equidem ſpecioſior & elegantior alia viris maximis opinio placuit, ipſum Eſarchaddonem Senracheribi filium, eſſe Sardanapalum; quod non una ratione videbatur probabile reddi poſſe. Nam & in ſacris literis ille Aſſyriorum regum memoratur poſtremus, & ſtatim poſt ejus obitum videtur Herodoti Dejoces commode ſubjungi poſſe, ut ſic Aſſyriis Medi ſucceſſerint; Et præterea nominum magna videtur eſſe affinitas, Neque enim Græcum id eſſe quiſquam putat, etſi ita Euſebius Ἀσσυρίων ἐβασίλευσεν λϛ Θώνοσκονκόλερος Ἑλληνιστὶ Σαρδανάπαλος, *Aſſyriis imperavit trigeſimus ſextus, Thonus Conkolerus Græce Sardanapalus:* Verum ſi *Eſarchaddoni* particula *Pul* addatur, per contractionem in peregrinis vocabulis familiarem Sardanapali no-

men non difficili flexu videbatur oriri. Cæterùm non paucioribus incommodis, si rem exactè perpendimus, hæc sententia, quam verisimilibus argumentis urgetur. Primo enim id neminem censeo negaturum, quin Sardanapalus is fuerit, à quo Medi defecerunt; adeo enim constantem de eo posteritatis memorationem esse falsam, ut nihil omnino veri in ea contineatur, nequaquam admittendum est; sed Herodoti autoritatem sequentibus id concedere non licet, quoniam is multo antequam Esarchaddon esset natus Medos ab Assyriis defecisse comminiscitur. Præterea, si quis hoc negare forsitan ausit, id utique asseveratum & in confesso est, fuisse ultimum regem Assyriæ Sardanapalum, quod tamen de Esarchaddore affirmari nequit; Constat enim diu post ea tem-

tempora, quibus Esarchaddon & Dejoces floruisse traduntur, stetisse adhuc Niniven urbem, hauddubie sub regio imperio; nisi & hi forte quemadmodum Medis olim in mentem venisse autor est Hedotus, democratiam & popularem libertatem postremis temporibus cum maxime bellis urgerentur & ductu auspiciisque unius indigerent, inter se constituerint. Quin & auctor historiæ Juditæ, Arphaxadum Medorum & Nabuchadnezarum Assyriæ regem, qui Ninivæ habitabat, eodem tempore vixisse & crudele bellum gessisse scribit. Quod per Arphaxadum intelligat Dejocem Herodoti, sive Artycam ut loquitur Ctesias, satis ex eo liquet, quia Ecbatanorum ei structuram perinde ac Herodotus Dejoci adscribit eandem: adeo ut Francisci Junii distinctione, qui Me-

Medorum regni duas constituebat partes, quarum alteram Artycas sive Arphaxad alteram Dejoces tenuerit,non sit opus.Cęterum Nabuchodonosor,non utique ille Judæorũ deportator qui multo est recentior, sed Esarchaddonis ut videtur, successor est, non tamen Soasduchinus, ut Usserio nullo probabili argumento videtur rex Babyloniorum simul ac Assyriorum, sed potius Assyriæ solius rex; quippe tam potentes adhuc multo post tempore Ninevitas reges fuisse, ut Medorum maximos exercitus profligare potuerint Herodotus testatur. De quibus tamen nihil asseverate sum disputaturus. Sufficit id ostendisse Esarchaddonem non esse omnium Ninevitarum regem ultimum nec proinde Sardanapalum videri posse. Et sane cum vetustiorum multorum regum memi-

minerit Herodotus, ſi tam recens fuiſſet Sardanapalus, mentionem ejus adeo celebratam non omiſiſſet, præſertim cum de rebus Dejocis loqueretur, in cujus rebus geſtis Sardanapalum omittere non potuiſſet, quando ut in hujus ſententiæ hypotheſi eſt, imminutio Eſarchaddonis Dejocis fuit incrementum; nec tamen ignotum Herodoto Sardanapali nomen fuiſſe ex libro tertio liquet, ubi ſino temporis quidem commemoratione ejus meminit, ſed ita ut regem otio alto, dum floreret, immerſum & reconditis divitiis beatum non obſcure ſignificet; quæ in Eſarhaddonem minime conveniunt, ut quem opibus poſt cladem paternam exhauſtum & in turbido regno continus moleſtiis belloque cum parricidis fratibus implicitum fuiſſe res ipſa & hiſto-

riæ fides oſtendit. Porro quod in ſacris poſtremus regum Aſſyriorum nominatur, nihilo magis inde ſequitur revera fuiſſe eum ulmum quam quod Pul fuerit primus, eo quod princeps ei rerum geſtarum locus in ſacra ſcriptura tribuatur; nihiloque clarius ex hoc argumento conſtat Eſarhaddonem eſſe Sardanapalum quam Pulem eſſe Bolochum, ut Funccius cæterique Chronologi arbitrabantur. Supereſt igitur ut ex nominum convenientia Sardanapalus ipſe Eſarhaddon, ubi Pul particula accedit, eſſe arguatur. Sed fallax hoc genus argumentorum eſſe oportet, unde quidlibet facile ex quolibet exſtrueretur, quia cum nomina ſæpe contingant diverſis hominibus eadem, ſi toties eos confundere liceret nihil certi in hiſtoria haberetur. Scimus ex indice no-

minum

minum Assyricorum apud Scalige-gerum *de temporum emendatione* frequens iis nomen usurpatum fuisse *Schadran*, cui si *Pul* particula jungatur, multo facilius Scharda-napuli vocabulum à Græcis patebit corruptum esse quam Esarchad-donpulis. Video Græcos Sacrorum interpretes Esarhaddonem Σαρχεδωνὸν transponere, quod sane est proclivius quàm Sardanum vel Sardanapalum, idque cæteri proculdubio imitati forent, si hoc nomen usurpavissent.

§. 4. Hoc loco præteriri non debet, quod Scaliger Ctesiæ exprobrat de Sardanapalo; eum scripsisse cum Sardanapalus ab Arbace obsideretur & in summum tres adducta esset periculum, misisse tres filios filiasque duas Ninum ad Regem ibi regnantem; quasi tunc alius fuisset rex Assyriæ & Nini

consedisset quam Sardanapalus. Ita scripsisse Ctesiam Athenæus ait libro XII. Τοὺς γὰρ τρεῖς υἱοὺς καὶ δύο θυγατέρας ὁρῶν τὰ πράγματα κακούμενα, προπεπόμφει εἰς Νίνον πρὸς τὸν ἐκεῖ βασιλέα &c. Sed ego cum Athenæo Diodorum Siculum committo, quem id agere ex professo constat, ut Ctesiam in Assyricis totum exprimat & describat, cui propterea plus in hac descriptionis fide tribuendum esse ratio exigit; at hic iisdem pene verbis in *capite 26. libri 2.* *Sardanapalum, cum in maximo discrimine res suas versari videret, tres filios natasque duas magna cum gaza misisse* ait *in Paphlagoniam ad Cottam præfectum inter omnes subditos regi addictissimum.* Hæc cum superioribus adeo adversentur, non dubito quin recipienda sint præ absurdissimis cæterisque Ctesiæ narrationibus

tam contrariis Athenæi allegaris; nec proinde ad fidem Ctesiæ, in antiquitatibus hisce, evertendam valeant quanquam ea ne quidem mens sit ipsius Scaligeri; quem calculos ejus amplecti sæpe audivimus.

§. 5. Corollarium de Nimrodo, quod subjectum hic iri diximus, eo pertinet, quod in superioribus Nimrodum nos Belum videri esse Babyloniorum regem primum satis perspicue ostendimus. Sed movet hic scrupulum, quod primo Gerhardus Mercator *in Chronologicis* & dein literarum Justus Lipsius *libro 2. monit. polit. cap. 1. num. 1.* Ninum, non Belum, fuisse Nimrodum putent, quoniam eadem fere de Nino à Græcis, quæ in sacris de Nimrodo prædicentur; & secundo quod eximiæ elegantiæ & doctrinæ Vir Samuel Bochartus

tus Nimrodum cum Bacho conferat, multisque speciosis argumentis eundem esse utrumque contendat; *libro 1. Chanaan. cap. 18.* sed quicquid de rationibus illis sit, hæc disputatio non prohibet auctorem communi sententiæ assentiri Nimrodumque existimare Belum esse, ut diserte docet *libro 4. Phaleg. cap. 12. & 13.* quo loco aliisque multis prudenter monet Vir summus, nequaquam temere negandam esse vetustati Assyricæ fidem tam unanimi veterum omnium consensu traditæ, nec profecto opinatus est eam ulli scripturæ sacræ apici vel levissime adversari. Quod Ninum spectat, eum esse Nimrodum etiam Pererius Jesuitæ refutavit *libro 15. ad Gen. num. 64. & seqq.* idque falsum, ut hoc addam, maxime apparet inde, quia Nimrodi initium fuit

Ba-

Babel, quod nemo unquam veterum de Nino sed diserte omnes contrarium tradiderunt, nisi quis Velleji verba captet *libro 1. cap. 6. ab Nino & Semiramide qui Babylona condiderant*: est enim is concisus loquendi modus, quo verba ultima Semiramidi soli respondent. Fama quoque rerum gestarum, quæ Nino adscribitur, etsi forte non prorsus ad veritatis legem expressa, consensu tamen omnium tanta est ut Nimrodi res eam non capiant, qui Chaldæam & Assyriam paucasque tantum urbes insedit, cum Ninus pleramque Asiam victoriis peragrarit; præterquam quod omnes Belum Nino antiquiorem fuisse tradant, cum Nimrodo vetustior populorum domitor sit nullus, quod argumentum in primis notandum. Sunt & qui Nimrodum Assyrici

regni conditorem fuiſſe negent, Aſſuri autem duplici argumento id acceptum ferant; tum quod nominis & populi proculdubio ſit author, tum & Ninum urbem ædificaſſe videatur. Utrumque Joſephus his verbis complexus eſt. Ἀσσούρας δὲ Νίνον οἰκίζει πόλιν καὶ τοὺς ὑπηκόους Ἀσσυρίους ἐπωνόμασεν, οἳ μάλιστα εὐδαιμόνησαν. *Aſſur vero Ninum urbem ædificavit, & ſubditos appellavit Aſſyrios, qui maxime floruerunt.* Quod nomen attinet, fuiſſe Aſſurem Aſſyriorum archegetem res loquitur, ſed cum familiari imperio gentes primo adhuc regerenter, & Aſſur præ cæteris, ut decebat Semi nepotem, pie pacificeque degeret, præbuit ea res Nimrodo occaſionem *egrediendi à terra ſua* & ſub jugum Aſſyrios redigendi. Jam quod ex *cap. 10. Geneſ. verſ. 21.* probari ſoleat Aſſu-

Assurem struxisse Niniven, hoc alibi pridem remotum est, scilicet per Assurem ibi non hominem sed regionem esse intelligendam, ut nunc potior interpretum consensus persuadet.

§. 6. Sed unicum hic contra Assyricam Ctesiæ antiquitatem argumentum à Nimrodo desumtum, quod in disputatione tertia nos fugit, obiter diluendum est. Ajunt, Ctesiam æquare Ninum principio Babylonis, quod falsum sit, siquidem Nimrod Ninum præcessit: Cum enim is non dubius Babylonis sit structor, fieri nequit, ut urbis exordium ætas Nini contingere possit. Sed responsionem nobis hic suggerit reliquorum omnium consensus antiquorum, ut in capite primo intelleximus, licet eorum non pauci resolute Ctesiam sequantur: Sexaginta illi annis

Ninum retrahunt ab initio Babylonis quod Calliſthenes tradidit, id eſt totidem annis quot ab aliis Nimrod ſeuBelus regnaſſe fertur. Scilicet Cteſias omne id tempus quod duraverant Aſſyrii ut in monumentis regiis invenit, expreſſit, à primo Beli Nimrodique initio; ſed res geſtas omnium primas Nini ſcriptas invenit, ideoque ab eo regum tempora deduxit, quæ Belo non præpoſito ſexaginta prioribus annis deficiebantur. Non igitur Ninum conditæ Babyloni exæquat, ſed in eo imperio, quod idem fere cum Babylonico principium habuerat, primo omnium de Nino loquitur. Hæc perſpicua res & clara eſt; nihil divinationis; nam præterquam quod calculi reliquorum veterum ultro hoc ſuggerunt, totidem verbis id ipſum Caſtor Rhodius dixit: Πρώτους μὲν

εἶναι

εἶναι τοὺς Ἀσσυρίων βασιλεῖς καταστάχαμεν, τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Βήλου πεποιημένους, τῷ δὲ τὰ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἔτη μὴ παραδεδόσθαι σαφῶς, τοῦ μὲν ὀνόματος μνημονεύομεν, τὴν δὲ ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας ἀπὸ Νίνου πεποιήκαμεν. Id est. *Primos fuisse Assyriorum reges initium à Belo ducentes retulimus; de hoc autem non esse accurate traditum, quot annis regnaverit; nominis saltem meminimus, Scribendæ autem historiæ initium à Nino fecimus &c.* Non exacte ait constare qnot annis imperium ille primus tenuerit, sed Eusebius & veteres alii paulo plures sexaginta pro Beli regno ediderunt. Eodem pene quo Castor sensu Diodorus *princ. libri 2.* cum antiquitus ignotos per Asiam reges fuisse dixisset, πρῶτος, inquit, τῶν ἱστορίᾳ καὶ μνήμῃ παραδιδομένων Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων μεγάλας πράξεις

ξεις ἐπελέσατο. *Primus eorum qui historiarum memoria ſunt traditi eſt Ninus Aſſyriæ rex, qui res magnas geſſit.* Ita quicquid ad explicationem harum rerum pertinere videbatur ſuccinctè produximus. Quorum non pauca prolixiori interpretatione indigebant, quibus hoc tempore ſuperſedemus. Id ſane profitemur, nihil nos quam innocuum veritatis ſtudium & exercendæ profeſſionis noſtræ officium ad diſputatiouis hoc qualecunque ſpecimen compuliſſe.

FINIS.

COROLLARIUM.

VAcantibus hisce pagellis, cum quod adjiciendum esset circumspicerem, corollarium quod disputationi quintæ subjecimus occurrebat; in quo id explicandum supererat,. cur celebris de quatuor Monarchiis doctrina, ut vulgo circumfertur, exiguam in historia civili usum habere videatur. Sed cum hoc dudum Johannes Bodinus in historica sua methodo disputaverit, nobis pro hac vice suffecerit illius vestigia insistere, ac interim quid probabile existimemus, si res ita ferat, addere. Er primo quidem Germanis hodiernis, suæ in eos invidiæ quam passim declarat Bodinus obsecutus, Monarchiæ, id est, summi imperii Catholicique dignitatem detrahere satagit, haud plane, si

rem ipſam intueamur, immerito. Nam ut maxime concedamus juſto ad eos titulo imperatoriam dignationem conſeuſu populi Romani & Præſidis eorum Pontificis eſſe delatam, ſummi tamen imperii ἀξίωμα tueri nunquam potuerunt. Id enim tale eſſe oportet ut reliquis mundi præcipui imperiis legem dicere eaque obnoxia tenere poſſit, quod à Germanis ex quo Caroli Magni poſteritati ſe ſubtraxerunt, minime præſtari potuit. Sed nec idem hodie Germanicum, quod olim fuit Romanorum imperium dicere licet, niſi quibus admodum ineptis eſſe placet, quando ne minima quidem pars Germanorum Romanæ olim ditioni ſubjecta fuit: nec ipſe Carolus Magnus eam imperii Romani fecit partem, ſed non ſecus ac Galliam ſuam domeſtico jure tenuit.

nuit. Poſtea decreverunt Pontifices populuſque Romanenſis, ut quem Germani Regem elegiſſent is Romanorum quoque Imperator diceretur, imperio interim ipſo cum Germanorum regno minime confuſo. Cæterum quodnam his diebus catholicum ſit imperium facilius eſt negare quam affirmare certo, niſi cui de Turcarum regno videatur quod ſane Bodinus exiſtimat. Præterea, inquit idem, *ſunt adhuc ac fuerunt non quatuor modo ſed infinita imperia Babylonico majora.* Cum doctrina vulgata ex oraculo Danielis ſit deſumpta, qui ſub Nabuchodonoſore vaticinatus eſt; ſequitur ut primum univerſale imperium fuerit Babyloniorum; atqui, regerit Bodinus; Chaldæi, Medi Parthi Arabes fuerunt illis potentiores & pro-

proinde eadem dignatioue honorandi. Quos per Chaldæos intelligat non satis liquet, Nam si vetustos illos putet, quos Africanus ante Belum regnasse scribit, fallitur; cum horum potentia cum Babyloniis tempore Danielis non sit comparanda. Videtur Assyrios veteres qui à Belo Babylonio cœperunt, intelligere & tum recte argumentetur; quemadmodum & Medos objicit merito; quanquam enim *supra* dixerimus, instabilem Medorum potentiam non videri universalis imperii nomine honorandam, tamen si de Babyloniis hoc dici possit nequidem de Medis erit negandum. Primus enim ad tam enormen potentiam Nabuchodonosor Babylonem evexisse videtur, & post eum quin & vivente eo Medi prævaluerunt. Potuisset etiam Scythas hic allegare
Bedi-

Bodimus, quibus per annos octo & viginti Herodotus dominatum Asiæ tribuit. Parthorum potentiam similiter respectu Chaldæorum non absurde extollit; Sed hi cum primum deficerent, præ Syriæ & Ægypti regibus haud multum excelluerunt; & cum postea usque ad Euphratem se extendissent Romanos euidenter habuerunt potentiores, comparatione virium, etsi ab illis subigi non potuerint. Etiam *Arabes*, Saracenos ut videtur, supra Babylonios attollit, sed in hac quæstione diversissimorum temporum populos comparare non debuit, sed cum Arabibus Græci conferendi erant, quorum sane imperium iis adhuc temporibus habebatur excellentius. Cæterùm, quod Persas Bodimus novum negat imperium constituisse, in eo assentiri

nobis religio eſt, cum id Scriptores vetuſti omnes contra teſtentur. Quin & Darius apud Curtium *libro 4. cap. 14. Precor* vos &c. *per æternam memoriam Cyri, qui ademtum Medis Lydiſque imperium primus in Perſidem intulit.* Et ne cui forſitan leve regis Perſici teſtimonium videatur, ipſe Medorum poſtremus apud Herodotum Aſtyages, cum Harpagus proditor captivo inſultaret, exprobraſſe ei dicitur, quod *cœnæ cauſa Medos in ſervitutem redegiſſet.* Ubi igitur imperans populus ad ſervilem cauſam redigitur & ſerviens principatu potitur, hic imperium mutari nemo ſanus negaverit. Sed Bodinus gemino ad ſententiam ſuam probandam argumento utitur; Primo quod Cyrus *genere ac moribus cum Medis fuerit conjunctiſſimus* quin & ſucceſſio

cessio ipsi, utpote destituto mascula prole Astyage, deberetur; Verum in conversionibus imperiorum judicioque de illis ferendo non tantum princeps sed totum Reipublicæ corpus spectandum est, adeoque vel imprimis populus; nec potuit aliunde Cyrus imperii nominationem consequi nisi ab illis quibus primo omnium imperavit, quorumque axilio expeditionem instituebat. Secundum ejus argumentum eodem respondendi medio facile evertitur. *Si*, inquit, *Cyrus eo tantum quod Persa fuerit, Monarchiam mutasse dicatur, ergo Roma tot habuit Monarchias, quot diversarum nationum Principes.* Repetendum enim est, non Principem solum sed maxime populum; cujus imperio subnixus alterius potentiam extinguit considerandum esse, Quam-

diu Roma tenuit ἀξίωμα principis populi nec ab alio externa seu subdita gente vi & armis subacta est, mansit utique idem imperium etsi præessent alienigenæ; quod in omnibus regnis etiam quæ hodie sunt electiva vel successionibus ad externos devolvuntur: ut Anglicum hoc ævo ad Scotos, observatur. Et quomodo novum possit imperium nasci, ubi nullum vetus extinguitur? Quod si Galli Romanis subjecti, defecissent, electoque principe pulsis Romanorum legionibus Romam occupassent imperiumque sustulissent, id novum proculdubio imperium fuisset, licet iisdem quibus antea partibus constitisset: Sic sane Persæ hactenus vilissima pars servientium solenni bello fractis Medis dominatum ad se transtulerunt. Romani vero principes li-

cet bello ad imperium grassarentur, milite tamen & nomine Romano utque Romanorum principes fierent contendebant. Ne quidem Constantinus Magnus. quod tantopere Bodinus urget, vel Britannicum vel Bysantinum fundavit novum imperium; iisdem quibus antea rationibus, quod Romano milite & nomine in bellis uteretur; neque vero religionis aut domicilii aut institutorum regnandi mutationes, ipsum quoque imperium penitus diversum reddiderunt. Argumentum, quo nonnulli utuntur, quod Byzantium νεάν Ῥώμην novam Romam appellari voluerint, non est tam vanum in hanc rem quam primo aspectu videtur; Inde enim liquet de Romani principis nomine eum deponendo cogitare non potuisse.

§. 2. Eum ego qui sic dixerit

 non

non puto erraturum ; Summi cæterisque excellentioris imperii dignitatem à Nino Assyriis esse vindicatam, à Cyro Persis, ab Alexandro in Macedonas translatam esse, Romanis vero à Cæsare Julio vel Augusto minime; sed dominatum quidem hos & tyrannidem instituisse, cæterum infirmius quam potentius reddidisse hoc imperium. In his igitur ab Æmilio Sura non est discedendum, qui principatum nationum Romanis statim à devictis Philippo & Antiocho tribuit; Nam qui hoc statuere ob Monarchiæ vocabulum refugiunt, impense ineptos se præbent. Hæc summorum quatuor imperiotum initia tam sunt asseverata, ut contradictionem nullam patiantur. Sed in his dupliciter peccatum est vulgo. Primo quod hæc quatuor sola fuisse eminentia imperia censuerint,

cum

cum tamen ex ſuperiobus multo plura fuiſſe talia conſtet ; ſed hoc modo diſcrimen eſt, quod nec tam diuturna nec adeo Scriptorum ingeniis reliqua ſint celebrata. Secundus error eſt, quod communiter eadem ſumma & catholica manſiſſe imperia velint, quamdiu penitus ſublata & extincta non fuere, quod multæ abſurditati in duobus poſtremis cauſam præbuit. Nam Perſarum ſatis æquabilis magnitudo fuit inde à Cyro majore uſquead exitum Achæmenidarum; & licet Aſſyrii continuam non ſemper potentiam conſervaverint, parum tamen conſpicua eſt eorum viciſſitudo. Sed in Macedonibus (ut hoc prætercam quod Alexandri imperium in multa ſtatim regna ſibi mutuo non obnoxia divulſum eſt) illud riſu quam refutatu eſt dignius, quod miſeras Alexandri ſuc-

ſucceſſorum reliquias, Macedonibus extinctis, fractiſque Syris & obnoxiis dudum Romano nomini Ægyptiis, tamen Catholicæ Monarchiæ nomine & honore dignentur; & præterea quod Romanæ magnitudinis characterem adeo in Germanorum Regibus agnoſcant, ut ſummi illis imperii dignationem hodieque perinde ac olim adſcribant; quaſi id unum Romanis datum eſſet, ut imperii illud nomen in terris ſempiternum foret. Danielis Prophetæ oraculum, quod Eccleſiæ populique Judaici reſpectum habet nulla ex parte nos adtingemus.

F I N I S.

Corrigenda.

Pag. 66. lin. 20. & 21. *præ Luciano* lege *præter Lucianum*. Pag. 92. lin. 9. *ratione* lege *natione*.